

W a
8047



Hic capitulum de locis quibus minime possunt asportari
 quibus aliis contra bellum hanc remedia. Quippe [] vatis
 et pro nobis contra locustas colligant. [] concitavit ho-
 minibus tollendi ovis, ne generentur inde alia. [] de-
 stitit ad hunc finem. [] variis modis a neccandi
 quandoque ingratum. [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []

Tantum hoc videri [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []
 [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] [] []

M. 5.



Gen. ix, 28.

2. D. B. V.
De



LOCUSTIS,

IMMENSO AGMINE AEREM
NOSTRVM IMPLENTIBVS, ET

QVID PORTENDERE PUTENTVR,

*Numine Aeterno adspirante
in Academia Jenensi*

SUB PRÆSIDIO

JOH. PAVLI HEBENSTREITI,

Moral. ac Politices Prof. P. Ordinarii,

d. XXVI. Aug. M DC XCIII,

publicè disputabit

CHRISTIANUS Grange/

NVMBVRGBENSIS,

AVCTOR.

JENÆ,
Literis KREBSIANIS.

723.



LOCUSTIS

IMMENSAM AGMINE AEREM
NOSTRUM IMPLENTIBUS, ET

Magnum A. ...
in Academia ...

SUB PRAESIDIO

JOH. PAULI HERBENSTREITII


Moralis Politices Prof. P. Ordinarii



AMBERGENSIS
AUCTOR

J. E. N. ...
Licitis ...





I. N. D.

Prolegomena.

I.

AEvum nostrum, si ullum aliud, rerum plurium stupendarum & *insolitorum* eventuum nomine ad memoriam posteritatis insigne est. Obversatur adhuc animo miserabilis facies Viennæ ab immani Turcarum agmine obsessæ, ac barbara horrendaque rabie impugnata. Prædicamus meritò nunquam datam aliàs fortunam Christianorum, qui paucorum annorum decursu tot regna, tot insulas ac ditiones, Hungariam, Moræam, Transylvaniam, ac provincias alias à Turcarum, quorum infregere robur, impotenti dominatu liberarunt. Constat omnibus, quàm incredibile felicitate WILHELMVS III. virtute pariter ac fortunâ excellens Rex, procellosi temporis difficultatibus, & intumescens freti fluctibus superatis ex Hollandiæ oris trajecerit in Angliam, regnumque istud amplissimum florentissimumque contra tot Gallorum ac Pontificiorum clandestinas molitiones, quibus acerbissimæ servitutis jugum imponere, præcipuè autem reformatam religionem ab aris, à templis avertere longè, quin ex ipsis evellere mentibus nitebantur, asseruerit, e-

A 1

jectis

4.
Etis locustis illis perniciosis, *Jesuitis*, qui nescio à quo
Lojola inauspicatò partu editi, & in exitium commune
sinistrâ quorundam liberalitate educati, in copias in-
numerabiles, locustarum instar, quæ totum sæpè an-
num evertunt, increvere. Horret animus cogitatione
terribilis illius terræ motus, quò, vergente seculi la-
bentis anno nonagesimo, urbs nostra & tota ferè con-
tremuit Germania, & conquassata fuit. Innotuit fa-
mosus ac mortalium memoriâ maximus terræ motus,
qui nuper admodum Siciliam concussit, ac totam pro-
pè suâ vi subvertit. Atrocius certè est, ac latius fun-
ditur malum istud, quàm vehemens illa Sicilia con-
cussio, à *Nicolao Fazella* (a) descripta, quâ anno 1669
mense Februariò urbs Catana usque adeò convulsa
fuit, ut non ædificia modò omnia, sed viros quoque ac
mulieres circiter quindecim millia cum Episcopo
maximaque monachorum parte ruina opprimeret.
Paucis adhinc diebus res nova ac visu stupenda, quæ
haud fallax mali imminentis præsagium vulgò cense-
tur, Jenæ, & in agris vicisque ipsi circumjectis in o-
mnium oculos incurrit, animosque attonitos ingenti
horrore perstrinxit. Die labentis mensis decimò
octavo ad nos immensâ copiâ advolarunt *locustæ* veræ,
nobis nunquam aliàs visæ, à cicadis per prata nostra sa-
lientibus, planeque inutilibus & innocuis, ipsâ specie
ac qualitate prorsus diversæ, lisque, si solam (quæ et-
iam præter auctoris mentem a pictore aucta fuit) excipi-
as magnitudinem, planè similes, quas Rabbi *Ananias*
Eezanus è Mauritania veniens ibidem reperiri & ab
incolis

(a) De reb. Sicul. Decad. prior. libr. I. cap. IV.

incolis comedi, Francofurti an. 1688. narravit, quarum
 ve speciem à Judæo isto ex *Aldrovando* exhibito indi-
 catam Illustris *Jobus Ludolfus* in commentario ad Hi-
 storiam suam *Æthiopicam* (b) depingi curavit. A
 meridie ex Pannonia, indeque Austriâ & Bohemiâ per
 Voigtlandiæ juga huc adventabant, & venti australis
 flatum secutæ in nostros tractus vasto agmine se effun-
 debant. Caput earum duriori quadam crustâ, galeæ
 speciem velut præbente, collumque involuero quo-
 dam, quod collarii monachalis formam gerebat, cin-
 ctum erat. (Sie hatten gleichsam einen Helm oder
 Sturmbut auf dem Kopff / wie die Soldaten zutragen
 pflegen / und Krâgen um den Hals / wie die Mönche.)
 Ineffabilis, quæ eorum, qui non fuerunt *αὐτόματα*, fi-
 dem excedit, multitudo erat. Postquam demiserant sese,
 duorum fere milliarium spatium occupabant, à quo-
 dam Altenburgicæ ditionis pago, quem appellitant *Tro-
 ckenborn*, ad nostrum usque oppidum in longitudi-
 ne, & à Rodæ oppiduli confiniis Cahlam usque in lati-
 tudine se extendentes. Manus altitudine jacebant
 humi, suisque innumerabilibus examinibus soli nostri
 superficiem ita operiebant, ut plenis pugnis corradi
 possent. Parcebant quidem vitibus arboribusque, ast
 agros & prata, quæ nube suâ dirâ contegebant, sic de-
 populabantur, ut avenam, milium, cannabem longè
 lateque consumerent, & foenum in acervos jam conve-
 ctum devorarent, gramenque quibusdam in locis ita
 eroderent morso, ut prata quasi igne adusta apparerent.
 Alis nocturno humore, aut rore, vel pluvia madefa-

A 3

ctis

(a) p. m. 177.

ctis, ita inhærebant terræ nostræ, ut nullò strepitu concitatò, nullâ vi abigi possent ac propulsari. Vbi æstas vapore solis accenderet tellurem, & diei fervidissimum tempus esse inciperet, tum demum in sublime vehebantur. Cùm assurgerent, ac sese alarum remigio efferrent, hinc ad alios Thuringiæ tractus commeantes, ab hora nona antemeridiana ad quintam usque pomeridianam quasi acie instructâ turmatim provolabant. Quandoque tanta earum nubes se intendebat cœlo, ut solem quadantenus obumbraret, ejusque nitorem aliquo modo conderet. Tàm densum agmen aërem nostrum implebat, ut columbas, aliasque aviculas cœlum trajicientes sufflaminaret, ac mole suâ supprimeret. Gregatim sublata tanto pennarum stridore se movebant, ut præcipitis aquæ ad asperos lapides allisæ, ac per saxa decurrentis aut venti arbores quantientis sonum redderent. Avium certè velocitatem volatu suo æquabant, & magnâ parte templorum nostrorum fastigiis supervolabant. Agmina quædam inferiora in ora peregrinantium ita irruebant, ut baculo nunc huc, nunc illuc vibratò arcenda essent atque fuganda, iisque montium ac pagorum vicinorum conspectum obscura sua nube adimebant. Multæ in plateas urbis, rectæque nostræ incidebant, ut passim à pueris caperentur. Atque hæc locustarum in nostras terras illatarum innumerabilis copia apud nos *casus valdè insolitus* est, (uti eam *Menochius* (c) appellat) h. e. casus adeo rarus, ut non potuerit verosimiliter à viro prudente cogitari: Nec enim hominum memoriâ pestis e-

jus-

(c) De A. J. Q. L. 2. Cent. I. cas. 80. in fin.

on-
tas
um
ne-
ef-
an-
po-
la-
bat
ni-
nen
cu-
up-
tri-
pi-
ua-
em
no-
in-
ulo
fu-
on-
ola-
ue-
ras
in-
sus
ru-
sc-
us-


INSTRUMENTUM
FIGURA

FIGURA
INSTRUMENTUM



Locustarium
aera nervantium

nujer nostrum
figura.



H. C. Groker. f.

Iusmodi nostros tractus infestavit. *Franzius* (d) e quidem
 testis est, locustas longos ventres & in capitibus coro-
 nulashabentes, ac tetrum odorem exhalantes anno
 1542. quod (ut *Georgius Agricola* (e) & *Sleidanus* (f) refe-
 runt) Poloniam, Italiam, & Germaniam pervagatae
 sunt, in Silesiam quoque, Lusatiam & Misniam irruif-
 se, & alicubi in Marchia ad equi unguam usque jacu-
 isse; ast ab illo tempore dirum istud insectum tantâ vi
 ad Thuringiæ ac Misniæ oras esse provectum, legisse
 me vel audivisse non memini. Unde quod *Menochius*
 olim l. c. scripsit: *Ego aliquando respondi, casum fuisse*
valdè insolitum, cum in Italiam advolavit immensa illa
Locustarum quantitas, quæ in hac regione visa est nun-
quam, vel si visa aliquando est, jam mille elapsis annis
visa est: Et licet cogitari potuerit de Locustis, ut in L.
Excepto C. Locat. non tamen de tam ingenti quantitate,
quàm illa fuit, quæ advolavit eò an. 1542; idem de locu-
stis, si in tanta multitudine ad nos adventent, pronun-
ciandum esse, Dn. D. Joachimus Hoppius in eruditif-
sima quadam dissertatione (g) scitè monet. Ex hoc
 verò, quod locustæ immensis ejusmodi turmis advo-
 lantes sint res valde insolita, nec hominum memoriâ
 visa, præstantissimi Jurium interpretes concludunt
 porrò, conductorem, qui in genere omnibus casibus
 renunciavit, de edacitate locustarum non teneri, sed

B

damnum

(d) Hist. anim. p. m. 799. (e) libro de animantibus subterraneis,
 quem ad *Georgium Fabricium* anno 1548. scripsit (f) lib. XIV.
 (g) quæ est de edaci *Locustarum* pernicie ad l. Excepto tem-
 pore .8 de Locat. & Conduct. Francofurti ad Viadrum an.
 1682 habita.

damnum ab iis illatū detrahere posse, etiamsi *juratō* ista facta sit renunciatio, imò casus cogitati & incogitati sine discrimine suscepti fuerint. Quippe communem velut & *x* iam sententiam laudant commendantque, quam *Mevius* (h) sic enunciat: Dann begeben sich dergleichen ohn- vermuthliche Fälle/ so bey Menschen Dencken nie fürge- fallen/ und also über die masse ungewöhnlich wären/ daß dero beysorge man nicht hätte können tragen/ weniger darauf die Gedancken richten/ verbleibet es der Suspection und Renuncirung unangesehen bey den gemeinen Rechten/ und betrifft der Schade den Colonum nicht. Neque ipsum juramentum ad non cogitata, seu ad ea, de quibus verosimiliter non potuit cogitari, extendi perhibetur (i). Atque casus incogitati, quos quis in se suscepisse dicitur, accipiendi sunt secundum presentem statum, non autem de iis, qui etiam prudentissimum virum fallunt (k). Cæterum ipse, cum rarum istud & in terris nostris valdè insolitum insectum, cum studiosis quibusdam attonitus contuerer, ac Nemeseos divinæ iram adversus mortalium genus concitatam inde colligerem, de peste illa atque ejus præfagiō publicè disse- rendi impetum, ipso in hoc tempus congruente casu admonitus, confestim concipiebam. Peritè autem negotii illius partes me neutiquam impleturum esse arbitrabar, nisi & passim de locustis in universum philo- sopharer, ac quæ generatim de iis prolata sunt, subin-

de

(h) De Pension n. 105. (i) *Seraphin.* de Privileg. Juram. Privil. 119. n. 2. *Adrian Gylman.* Tom. 6. Symphorem. Part. 1. Voc. 17. n. 120. (k) *Alciat.* libr. 8. Resp. 49. n. 5. *Menoch.* Conf. 26. n. 19. *Mevius* l. c. n. 112.

9.
de ad nostra agmina attemperarem. Quod argumen-
tum insolitum dum aggredior, Omnipotens Numen,
ut propitium mihi sit, supplex oro.

CAP. I.

Nominis *LOCUSTÆ* ho-
monymiam & significationem tra-
dit, & quò sensu istud nostratibus tribua-
tur, aperit.

I.

SI pro copia rerum super locustis in universum com-
mentari & argumenti hujus, quod tractandum susce-
pi, totam molem exhaurire vellem, tempus & charta
potius, quàm materies, me deficerent. Itineraria
& rerum naturalium interpretes de mirabili hoc insecto
infinita ferè tradunt: ac ipse *Bochartus* in *Hieroico* suo
octo capita integra de iis contexit. Unde ex tanta ma-
teriarum ubertate ac amplitudine pauca saltem, & ea qui-
dem decerpam, quæ ad locustarum nostrarum naturam &
efficaciam illustrandam nonnihil facere videbuntur.

II. Eò autem pactò meam tractationem digeram dispo-
namq; ut *primò* in evolvenda nominis significatione, ejusq;
ambiguitate dispellendâ elaborarem, *deinceps* animalculo-
rum istorum naturam partesque perlustrem, *tertio* de af-
fectionibus variis, videlicet (α) *motu*, (β) *loco*, unde adven-
tant, & quem pervagantur, (γ) *sono*, (δ) *quantitate* (ϵ) *colore*
differam, *quartò* de eorum vi ac efficacia, ad quid profint,
quidve noceant, atque hinc de variis adversa ea reme-
diis exponam, *quintò* eorum generationem aut certum

vestigem, Sextò quid portendere putentur, edoceam, & ad extremum, quid secundum *jus nature* circa damnum ab iis illatum observari debeat, tradam.

III. Nomen quod attinet, varii varias ejus etymologias adferunt. Nonnulli, quos inter est *Isidor.* (l) à vocibus: *longus* & *basta*, illud deflectunt, quòd locustæ longos pedes, hastis non absimiles, habeant. Alii à vocabulis: *locus* & *stare*, deducunt, quòd animalcula ista non uno in loco subsistere, sed hinc inde subsilire consueverint. Alii à vocibus: *locus* & *ustus*, derivant, quòd locustæ agros, quos invaserunt, *urant*, h. e. affligant, seu malè afficiant. *Bocharto* in *Hierozyico* part. post. lib. IV. c. V. locusta non aliunde videtur, quàm à *locutione* appellata, cum tam loquax sit, quàm cicada, quam volunt loquacitatis esse symbolum.

IV. Undecunque vox illa originem habeat, quatuor potissimum ejus significationes deprehendimus. *Adrianus Turnebus* (m) observat, antiquum quendam Criticum vocabulum hocce usurpare pro instrumento ad delendas flammæ comparato, quod altissimè aquam hamarum & dolabrarum more evomebat. Nonnunquam nomen istud designat certum herbarum genus, de quo *Matth. Martin.* in *Lexic. Philol.* h. voc. Quandoque denotat certum quoddam piscium *αἰμαίων* (h. e. *exsanguium*) genus, quod dixerunt *μαλακόςρακα* (i. e. testâ quidem, sed molli, obducta, seu, ut *Plinius* vocat, *crustata*, vel *crustis conteeta*) & cujus quatuor esse species, *locustas* puta, *astacos*, *squillas*, & *cancros*, referunt *Aristoteles* (n) & *Athenæus* (o). Quanquam (quod obiter hic notamus) *Plinius* *cancrum* (*καρκίνον*) non accipiat pro specie carabis contradistinctâ, sed pro genere aliquo *carabos* & *astacos*, velut species, sub se comprehendente. Sic & *Juvenali* (p) & Romanorum aliis la-

(l) in fin. lib. 12. (m) lib. XIX. *Advers.* cap. XXIII. (n) lib. IV. *Histor. Anim.* cap. 11. (o) lib. III. (p) *Sat.* V.

xius accipitur *squilla* vocabulum, ut non modo *καρίδα*,
 sed etiam aliam piscium *ἀνδριμων* & *μαλακοσφάκων* speciem,
 v. c. *ἀσρακον*, complectatur. Cæterum locustæ eo sensu,
 qui illicit apud *Aristotelem* (q) & *Atheneum* (r) occurrit, in-
 tellectæ vocantur Græcè *κάρφοι*, parteque corporis an-
 teriori rigent, ac binis præliantur cornibus, & utrinque
 præditi sunt pedibus quinque, atque teste *Plinio* (s) in mari In-
 dico quaterna cubita implent. Iisdem usque adeo capie-
 batur *Callimedon* orator, ut teste *Atheneo* (t) exinde *Carabi*
 nomen nactus sit. Hòc autem sensu vox ista usurpatur
 apud *Svetonium*, qui in vita *Tiberii Neronis* narrat, Cæ-
 sarem illum crudelem piscatori cuidam, qui ipsi secretum
 agenti grandem mullum inopinanter obtulerat, perfricari
 eodem pisce faciem iussisse, & gratulanti inter pœnam,
 quod non & locustam, quam prægrandem ceperat, obtulif-
 set, locustâ quoque lacerari os imperâsse. Geminò si-
 gnificatu *locustæ* vocabulum adhibetur apud *Massejum*, qui
 de Lusitanis in arce Indica Cananor obsessis & fame pressis
 sequentia (u) scribit: *Ipsomet festo assumptionis (sc. Mariæ
 Virginis) die, ne quid miraculo rem posset eximere, solito ve-
 bementius intumescens pelagus, ingentem locustæ numerum ad ipsas
 templi radices eiecit, quæ à Lusitanis gratulabundis avidè col-
 lecta in multos dies abundè suffecit: nec validos tantum sevâ fa-
 me, verum etiam egros diuturno morbo levavit.* Et si enim Il-
 lustris *Ludolfus* in ipsa *Historia Æthiopica* (x) hunc *Masseji*
 locum de terrestribus & volatilibus locustis accepisset, ta-
 men à Clarissimo *W. Ernesto Tenzelio*, multæ lectionis & va-
 riæ eruditionis Viro, admonitus, & à *Johanne Barrio*, Hi-
 storico Lusitano, eandem historiam enarrante, rectius in-
 structus, eum posthac in commentario suo (y) de locustis
 marinis interpretatur.

B 3

Tan-

(q) lib. IV. *Histor. Animal.* cap. II. (r) lib. III. (s) lib. IX. *Histor. Na-
 tur.* c. III. (t) lib. III. (u) *Historiar. Indic.* lib. III. (x) lib. XIII.
 (y) p. m. 182.



V. Tandem *locustæ* vocabulum notat *insectum* aliquod terrestre & apud nos insolitum, frugibus inprimis perniciosum fructusque ac segetes adurens & consumens, quod Græcis communiter *ἀνεῖς* dicitur. Quæ explicatio etsi locustam, (quippe quæ ob nimiam suam diversitatem exquisitam definitionem respuit) accuratè satis non definiat, discernit tamen eandem à *cicadis* per prata nostra *quorannis* salientibus, utpote quæ parum detrimenti frugibus adferunt, cum solum in gramine degant, & pruina sive rore contentæ sint.

VI. In ultimo hōc significatu *Locustæ* nomen sortiuntur animalcula ista, de quibus in præsentī specimine philosophamur. Enimverò nec vocem illam hoc sensu usurpatam, & insectis quibusdam terrestribus attributam, ad eam latitudinem extendimus, ut sub se complectatur quoque locustam ἀπτερογυ (h. e. *alarum expertem*), sed hic cum maximâ scriptorum parte ad eum acceptionis gyrum revocamus, ut aliquod apud nos insolitum, terrestre, *volatile*, frugibusque inprimis perniciosum insectum designet. Cæterum locusta quædam ἀπτερογυ est ea, quæ apud *Dioscoridem* (z) ἀσπίδα γυτὴν ὄντι dicitur, & adversus scorpii venena valere fertur. Sic & *Bruchus*, Hebræis בְּרוּשׁ dicitur, communiter locustæ genus alarum experts esse putatur, quod eò sit maxime pestilens, quòd, quia volare non potest, regionem illam, ubi confedit semel, totam interdum populetur, atque urat. Solere autem *Bruchos*, cum avolare non possint, comprehendi, & illorum acervos coniectos in fossas terrâ tegi atq; opprimi, colligitur ex *Esaia XXXIII. 4. congregabit spolia vestra, sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo.* Loquebatur ibi *Propheta de Senacherib*, cuius exercitus sicut bruchorum multitudo populabatur *Judæorum* regionem, qui tamen in *To-pheth*,

(z) libr. II. Mater. Medic. cap. LXXIV.

13.

pheth, quasi in fossas bruchi coniecti, oppressus est. Quamquam sint, qui bruchos esse autumant illud vermiculorum genus, qui vites, cum germinare incipiunt & fructum ostendere, corrodunt: Id quod fortasse verum esse, *Caspar Sanctius* in comment. ad cap. I Joel, arbitratur. Est & in America alia inter Locustas ἀπέρεργς species, quæ Græcis *Mantis*, Latinis *vates* dicitur, quod, ubicunque appareat, macra sit & famem portendere perhibetur. Refert *Guilielmus Piso* (a), eam inusitatæ figuræ ac naturæ esse; priores pedes instar brachiorum junctos & quasi manus ad cælum elevatas habere, ut credant superstitiosi incolæ, quod homines supplices ad cælum palmas tendere doceat; ac certo quodam tempore, veris vicem supplente, vitam sensitivam derelinquere, & transformatam aliquandiu in plantam, tandem more cæterorum vegetabilium marcescere. Ut ut igitur locustæ nomen, quatenus *insectum* aliquod denotat, animalculis quoque alarum experibus tribuatur, tamen ex usu loquendi in *Physicorum* scholis recepto simpliciter & κατ' ἐξοχήν de insecto apud nos insolito, terrestri, volatili, frugibusque imprimis pernicioso dicitur. Unde & cum apud *Arbanasium Kircherum* (b) aliosque insecta seu ἐντομα sint vel terrestria, vel aquatica, atque illa vel habere pedes, vel pedibus carere dicantur, & quæ pedibus instructa sunt, vicissim distinguantur in alata, & alis destituta, Locustæ ad insecta terrestria, pedibusque & alis prædita absolutè referuntur.

VII. Hic autem non possumus non notare *Fridericum Spanhemium*, (c) qui Locustarum, ut sunt animalia ex insectorum genere, diversa inquit esse nomina apud Græcos

(a) de India utriusque re naturali & medica Lib. V. cap. XXI. (b) Mund. sub. err. Tom. II. libr. XII. sect. II. c. V. (c) Dub. Evang. Part. III. Dub. XCIX. §. III.

14.
cos, cum dicantur, ἀκρίδες, βεῖχοι, quandoque καρῖνοι
καράβοι, ἄστικοι. Certè enim καρῖνοι, καράβοι, ἄστικοι, ut
ex Aristotele (d) & Arbenæo (e) liquet, sunt quædam pisci-
um sanguinis expertium genera, quæ μαλακόσρακα, seu,
ut Plinius vocat, *crustata*, vel *crustis connecta* dicuntur: prout
ipse Spanhemius ibidem fatetur, καράβος καὶ καρῖνος esse ex
cancròrum genere: Ast pisces & cancri nullò jure ad inse-
ctorum classem revocari possunt.

CAP. II.

De LOCUSTARVM naturâ & partibus.

I.
EX Plinio (f) liquet, tam validam firmamq; locustarum
naturam esse, ut longinqua maria transeant, conti-
nuatâ plurium dierum fame. Ipse locustas aliquot
nuper inclusi vitro, easque per septem dies sine ullo
alimento vixisse, experimentò didici.

II. Non videntur habere nostræ locustæ nervos, nec os-
sa, nec spinas, nec crustam quidem fragilem, nec quæ jure
dicatur cutis, sed partes mediæ cujusdam inter omnia hæc
naturæ, corpus arenti simile, nervò mollius, in reliquis par-
tibus *siccius* verius, quam *durius*: prout Plinius (g) de omnibus
insectis pronunciat. Imò id ipsum, quò cohærent, non inter
ossa & cartilaginem, sed, cum molle sit ut caro, distendatur
autem ut nervus, inter cartilaginem & nervum mediam na-
turam habet, uti judicat Gerardus Joannes Vossius (h). Cum e-
nim

(d) lib. IV. Histor. Animal. c. II. (e) lib. III. (f) lib. XI. Hist. Natur. cap.
XXIX. (g) lib. XI. Hist. Nat. c. IV. (h) lib. IV. de orig. & progr.
idololat. cap. LXX.

15.

nim multum habeant aquei, mirandum non est, si careant iis partibus, quæ plus terreni continent. Licet igitur quædam in iis sint partes ficciores, non eò usque tamen ficcæ sunt, ut prorsus obdurecant. Unde & *Aristoteles* (i) inquit: ἡ δὲ τῶν σώματων σὰρξ ἔτε ἀσρακώδης ὄσιν, ἔτε οἶον τὸ ἐντὸς τῶν ὄσρακωδῶν, ἔτε σαρκώδης, ἀλλὰ μεταξύ. διὸ καὶ ἔτε ἀκανθῶν ἔχουσιν, ἔτε ὄσιν, ἔτε οἶον σπητίον, ἔτε κύκλω ὄσρακον. *Caro autem corporis (insectorum) nec testam imitatur, nec qualis in testaceis continetur, sed medium quiddam est inter hæc. Quare neque spinam habent, neque os, neque aliquid sepis simile, neque testam ambientem. Cujus insectorum constitutionis rationem eleganter tradit Philosophus ille, cum statim subdit: Αὐτὸ γὰρ αὐτὸ τὸ σῶμα διὰ τὴν σκληρότητα σώζει, καὶ ἔτε περιδεῖται ἐτέρῃ ἐρείσματι, se ipsum enim suapte duritie tuetur corpus, neque alterius eget fulcra.*

III. Vulgus tamen substantiam mollem in locustis deprehensam, *carnem* appellare solet. Sic ex *Davidis Schelhammeri*, Bibliothecarii Hamburgensis MSS. Illustris *Ludolfus* (k) hæc verba allegat: In Guinea fliegen die Heuschrecken mit dicken Schwarmen/ wie eine dicke Wolcke/ und verfinstern die Luft. Sie werden getödtet/ und an der Sonnen gedörret/ und von ihnen gefressen; Sie sollen wohl schmecken/ haben Fleisch so weiß/ als ein Krebs.

IV. Ipse iam laudatus *Ludolfus* (l) [qui existimat alias, locum *Num. XI. 31.* ubi ventus ⲙⲓⲗⲱ abripuisse, & super castra Israëlitarum diffudisse dicitur, multò commodius & genuinius de locustis, quàm de coturnicibus exponi posse], locustas, si non carnem propriè dictam, saltem aliquid carni simile & analogum habere arbitratur. Scilicet *Dn. D. Samuel Andrea*, in Academia Marpurgensi

C.

Pro-

(i) Lib. IV. *Histor. Animal.* cap. VII. (k) in commentar. ad *Histor. suam Æthiop.* p. m. 180. (l) *ibid.* p. m. 169. seqq.

Profesor in sententiæ illius *Ludolfiana* disquisitione MStâ
[quam *Illustris Ludolfus* pro incomparabili sua erga me be-
nevolentia benignè mihi nuper huc transiens communi-
cavit] ut probet, vocem לך Num. XI. 31. quam vulgata
reddidit per *coturnicem*, propriè avem aliquam, & non lo-
custam notare, objicit disertè, *carnem propriè dictam petiisse*
Israelitas, ac petentibus talem dedisse, locustis verò car-
nem propriè dictam haud convenire. At *Ludolfus* ex-
cellentissimus in animadversionibus suis ad disquisitionem
istam manuscriptis, quæ omni rarissimæ eruditionis copiâ
refertæ sunt, respondet, probari sufficienter haud posse,
quòd Deus talem carnem dederit, qualem petierant *Israeli-*
tæ, vel in animo habuerant, cum nec panem illis dederit,
qualem concupiverant, sibi que fuerant imaginati. Un-
de & censet, quod, quemadmodum Deus panem poscenti-
bus aliquid panis ἀνάλογον largitus est, ita flagitantibus
carnem aliquid ei simile & analogum dederit.

V. Utrum autem hæc locustarum nostrarum caro, sive
propriè, sive analogicè sic dicta, cibus insalubris sit, disqui-
ri solet. *Hieronymus Mercurialis* (m) & *Hieronymus Velschius* (n)
locustas escam insalubrem esse, exinde colligunt, quòd
 ἀκριδοφάγοι brevis sint vitæ, & miserò mortis genere pere-
ant. Quippe *Strabo* (o) & *Plinius* (p) referunt, *Æthiopes*
locustis vescentes esse βραχυβιωτάτους , & rarò quadrage-
simum annum superare. Atque *Agatharchides* apud *Pho-*
tium (q) perhibet, *Æthiopes* locustis victitantes mise-
rabili morte post quadraginta annorum decursum dece-
dere. Testatur enim palàm, quòd, simulatque senium
appropinquat, innascatur *Æthiopum* illorum corporibus
volucre pediculorum genus, quod incipiat à pectore & al-

VO,

(m) lib. II. Variar. lect. cap. XX. (n) in Vena Medinensi cap. II. p. m.
43. (o) lib. XVI. Geogr. p. m. 531. (p) lib. VI. Histor. Natur. cap.
XXX (q) Biblioth. Cod. CCL.

vo, continuo autem unà cum facie omnem corporis superficiem depascat. Hoc idem ferè est, quod de illis *Sirabo* inquit: Τὰ τετραεθίκοντα ἔτη ἀσπίως ὑπερτιθέασιν, ὑποθη-
 εισμένης αὐτῶν τῆς σαρκός. Ineptè enim *Xylander* vertit: *Rarò quadragesimum superant annum, carne eorum jam in ferinam versâ.* Nec satis accuratè reddit *Velschius*: *Rarò quadragesimum superant annum, carne ipsorum in vermiculos sive animalcula mutatâ.* Certè simplicius ac longè meliùs locus ille, ut *Ludolfus* (r) scitè docet, sic verti potuisset: *Rarò quadragesimum superant annum, carne eorum verminante, seu vermes progignente.* Cæterum illi, qui locustarum carnem cibum insalubrem esse credunt, causam brevioris hujus vitæ assignant eam, quod infecta ista, utpote ἔνεγὰ τελείως τροφή h. e. *cibus prorsus siccus* [ut *Agatharchides* loquitur] temperiem paulatim corrumpant. Alii contrà locustarum carnem *in se ac per se* haud esse insalubrem pertendunt, etsi per accidens, si nempe quis nimis ac perpetuò eam comedat, nocere ipsa ac temperiem corrumpere queat. Manifestè *Ulysses Aldrovandus* (s) locustas ad medicamenta utiles prædicat, ac *Mosen* in seligendis cibis diligentissimum eas Hebræis ut salutare in escam permisisse. Sic & *Dn. Ludolfus* locustarum ejusmodi, quæ nuper tantâ copiâ ad nos advolarunt, carnem haud insalubrem esse censet, nixus potissimum auctoritate ac testimonio *R. Ananie Fezzani*, qui an. 1688. Francofurti testatus est, locustas, queis Mauritani vescuntur, non nocere ulli mortalium, licet de iis edant innumeras. *Velschius* equidem objicit, affectum illum vermiculorum ex victus ratione quibusdam Æthiopiæ populis adsignare *Diodorum Siculum, Strabonem, & Agatharchidem.* Ast nemo ex illis scriptoribus disertè hoc asseverat. Quippe *Diodorus Siculus*, postquam infelicem

C 2

popu-

(r) Comm. ad Hist. Æthiop. f. m. 184. (s) Lib. IV. de Insect. c. I.



populorum ἀκρίδοφάγων conditionem enarrâſſet, quaſi dubitans ſubjungit: Εἴτε διὰ τὴν ιδιότητά τῆς τροφῆς, εἴτε διὰ τὸν ἀέρα τῆς αἰσῆτος τυγχάνοντες περιπετείας, h. e. ſive propter qualitatem cibi, ſive propter aërem iſta miſerabili ſorte utuntur. Strabo verò, cùm de Acridophagis Æthiopibus perhibuiſſet, eos eſſe βραχυβιώτους (h. e. vita breviffima) addit quidem: ζῶσι δ' ἀπὸ τῶν ἀκρίδων [i. e. vivunt autem de locuſtis]; ſed brevitate vitæ iſtis locuſtis, velut cauſæ, non adſcribit. Et Agatharchides manifeſtè id in medio relinquit, utrum miſera iſta mors proveniat ex comēſtis locuſtis, an nativa corporum temperie, vel aëris naturâ. Sic enim ſcribit: Οὐτὸ μὲν εἴτε τῆς χυμῶς, εἴτε τὴν τροφήν, εἴτε τὸν ἀέρα τῆς κακίας ἔχοντες αἴτιον, ἕτως ἀπόλλυνται, Hi igitur (acridophagi) ſive corporis ſuccus, ſive alimentum, ſive aër corruptus in cauſa ſit, iſtum in modum intereunt. Et fac, ex victus ratione ἀκρίδοφάγος contrahere corporis intemperiem, inde tamen evinci nequit, quòd locuſtæ in ſe ac per ſe inſalubres ſint, corporisq; corrumpant temperiem, ac mox item accelerent. Nam cibi etiam in ſe ac per ſe ſani ac ſalubres, ſi inſumentur & fallantur, ſcorbutum producere poſſunt: Jam verò populi ἀκρίδοφάγοι teſte Plinio (t) locuſtis vivunt fumò & ſale duratis in annua alimenta. Imò ſi ἀκρίδοφάγοι illi veſcerentur locuſtis recentibus, nec igne fumoq; duratis, inde tamen, quòd nimio ac mero earum uſu temperiem corporis everterint, mortemque præmaturam ſibi accerſiverint, concludi non poteſt, eas in ſe ac per ſe eſſe inſalubres. Multa enim, quæ in ſe ac per ſe ſalubria ſunt, immane quantum nocent, ſi nimis ac immoderatè iis utare; prout e. g. vinum in ſe ac per ſe ſalubre eſt, et ſi calorem naturalem extinguat, ſi immodicè ſumatur: Sic & nobiliſſima aromata, opium, crocus, & alia, ſi nimium ac crebro iis utare, mortem accelerant, & tamen in ſe ac per ſe

[t] Lib. VI. Hiſt. Nat. c. XXX.

se salubria sunt. Objicit *Veschebius* porro, locustas edere olera *Galenum* autem arbitrari, quod olerum esus sanitati minus conveniat. Sed ne huic objectioni quicquam inesse roboris, præclare ostendit Illustris *Ludolfus* (u). Neque enim *Galenus* (x) quando olera paucissimum dare nutrimentum ait, de insectis & pecoribus, sed de hominibus differit. Nec verò ab animalium cæterorum cibis, qui homini salubres sunt vel insalubres, ad salubritatem vel insalubritatē carnis eorundem rectè concluditur. Certè porcorum, gallinarum, aliarumq; avium quarundam caro *in se* insalubris haud est, etiam si vescantur reb9, quæ homini minimè sunt salubres.

VI. Non autem salubris tantum in se, sed etiam *esui grata*, olim hodieque à multis gentibus locustarum caro habetur. *Aristophanes* (y) scribit:

πόπερον ἀκρίδες ἠδὲ ἰόν θῆν, ἢ κίχλαι,

ὄτι μ' ὡς ὑβρίζεις. Δ. Τὰς ἀκρίδας κρένει πολὺ.

Utrum locusta suaviores sint, quàm turdi?

Eheu! quàm injurius es. D. Locustas judicat multò (suaviores), Diodorus Siculus (z) narrat, locustarū ab Æthiopibus desertæ regioni conterminis occisarum magnos coacervari cumulos, easque salugine persperfas & convenienter maceratas accipere γεῦσιν πρὸς Φοργν (h. e. *saporem accommodum seu gratum*), & sine putrefactione diu asservari. Sic & *Petrus Kirstenius* (a) hoc se ex Arabe quodam, quem secum habuit, audivisse memorat, quod quibusdam Arabiæ incolis locustæ, si soli ferventi fuerint expositæ, & ab ejus fervore satis intumuerint, *cibus suavissimus*, esse credantur. Cui consentit, *Josephus de S. Angelo, Tolosanus*, (b) omnes & singulos in

Ε 3

Ara-

(u) in *comm.* ad *Hist. Æthiop.* p. m. 184. (x) *Lib. II. de alimentorum facultatibus cap. 40. & 50.* (y) in *Acharn. Act. IV. Sc. 7.* (z) *lib. III. Biblioth. Histor. p. m. 163.* (a) ad *cap. III. Matth. v. 4. seqq.* (b) in *Gazophylacio suo Persico in voce Locusta.*

Arabia edere istas locustas cum maximo appetitu, enarrans. Sinenfes (c) deliciis aliàs assveti eas *pro cupediis* habent. Mauritani (d) Africæ populus hodieque locustas, quæ ejusdem generis ac figuræ sunt cum nostratibus, avidè collectas coquant & esitant, eas multò svaviores esse pullis columbarum, agentes.

VII. Nec veritati hujus historię præjudicat quicquam, quod Germani cibum istum nauseent & averfentur. Gustus enim inter nationes differt, & alia aliis grata, aliis ingrata videntur, prout quilibet assvetus est. Hinc & ipsemet cum *Clenardo* (e) dixerim: *Malò perdicem unam, quàm locustas viginti.*

VIII. Cutem porrò *prorsus tenuem* (δέρμα πείμπαν λεπτόν, ut cum *Aristotele* (f) loquar) aut certè aliquid prætenue cuti ἀνάλογον non ad omnes corporis partes, sed ad alvum habent. Quippe coxis durâ crustâ inteētis, intra quas caro mollis est, nec non ad pectus crustâ plurimâ, dorsoque crustatô constant, ut quasi loricatæ videantur. Mirari igitur subit, acutissimum aliàs Philosophum, *Julium Casarem Scaligerum* (g) hæcce scribere: *Utinam Aristoteles hoc non dixisset* (scilicet: Δέρμα δ' ἔχουσιν μὲν, πείμπαν δὲ τὸ λεπτόν), Nec enim hîc ait *Aristoteles*, *insecta ubique* & quâ omnes corporis partes habere cutem; sed simpliciter inquit: *Ac cutem quidem, sed prorsus tenuem habent.* Namque τὸ πείμπαν ibi non est idem, quod τὸ πανταχῶς [h. e. *ubique*] sed quod τὸ πάντως, i. e. *prorsus*.

IX. Non ergò constant locustæ corpore intus forisque duro, uti quidam de insectis generatim pronunciant. Neque enim alvus tantùm mollior est, sed & observante *Scaligero* (h) intra coxas durâ crustâ inteētis, ac intra dorsum crustatum caro mollis continetur.

X. Caput

(c) Joh. Neuhof in descriptione regni Sinarum pag. 377. (d) Ludolf. in comm. ad Hist. Æthiop. p. m. 176. 177 (e) In Epist. L. 1. p. m. 73. (f) Lib IV. Hist. anim. c VII. (g) Comm. in Arist. Histor. de Animal, Lib. IV. c VII. (h) ibid.

X. Caput duriori quadam, seu (ut accuratius loquar) *ficciori* crustâ, quæ galeæ formam præbet, collumq; involu-
crô aliquô collarii monachalis speciem gerente cinctum est.
Similes omninò nostrates quoad has partes sunt illis, quas
in insula *Tayowan* & *Formosâ* conspicuas ex Historia lega-
tionis cujusdam Sinensis *Ludolfus* (h) sic describit: Anno
1654. im May entstand auf der Insul Tayowan und Formo-
sa aus dem Nord- Westen wieder eine große Menge Heu-
schrecken/ die um und um alle Feld- Gewächse abstossen; Da-
her dann durch Hungers- Noth über 800. Menschen umkom-
men. Sie waren wunderbarlich von Gestalt: hatten gleichsam
Kragen umb den Hals/ wie ein Pickenirer: und einen Helm
oder Sturmbut auf dem Kopff/ wie die Soldaten zutragen
pflegen.

XI. In quibusdam nostratium ex collo, & quidem sta-
tim ex collarii istius Monachalis initio crista quædam, or-
namenti alicujus, nescio cujus, formam præ se ferens, emi-
nere visa est, sive id ex peculiari *τῆς ἀφ' ἑαυτῆς φύσεως* h. e.
incorruptæ NATURÆ (ut cum *Sexto Empirico* (i) loquar) pro-
visu, ad dehortandos mortalium luxuriantium animos, si-
ve *casu* (ceu loquuntur *Physici*) per aliquam à communi se-
cundam speciem dispositione degenerationem factum
sit.

XII. Licet vilia videantur esse animalcula, magnum
tamen habent os, ac in occipitio, & quidem in scapularum
commissurâ, *dentes duos nigricantes, validos, latosq;* ad fruges
absumendas egregiè natos, quos inter se terendo (ex sen-
tentiâ *Plinii*) stridorem edunt. Hinc *leonini dentes* *Apec.*
IX. g. locustis assignantur, quando ibidem dicitur: *ὀδόντες*
αὐτῶν ὡς λεόντων ἦσαν, *dentes eorum ut leonum erant,* i. e. duri,
validi, acuti. Atque ex dentium illorum robore ac duri-
tie

(h) in comm. ad Hist. Æthiop. p. m. 175. (i) lib. VIII. adversus Mathe-
mat. (k) in Histor. Natur. lib. XI, c. XXIX.

sic sit, ut, ceu *Plinius* (l) ait, omnia morsu erodant, & fores quandoque tectorum. Arabes quoque docente *Bocharto* (m) illud, quod ab ipsis demorsum est, vocant *denticulatum in ferramodum*.

XIII. Oculos gerunt *patentes ac duriores*, ut quasi per membranam vitri translucidam cernant, atque ob durtiem istam hebetius quidem, splendore autem recepto vident clarius. Hinc evenire videtur, ut volitent *potissimum* interdiu; quando nempe discussa jam nubium ac nebularum caligine clarissimum solis jubar effulget: quemadmodum & nostrates alis nocturno humore, aut rore madefactis humi quiescebant, ac tum demum, ubi æstas vapore solis accenderet tellurem, tempusque diei fervidissimum esse inciperet, turmatim provolabant. Et *Ligtfootus* (n) ex *Gemaristis* observat, cœcutire locustas roris tempore, ita, ut, si veneris tunc temporis eas, gradum sistant. Quam appositè moneat *Plinius* (o) priscos illos scriptores, qui locustas noctibus propter frigora non volare tradidere, ignaros fuisse, longinqua ab iis maria transiri, fame quoque plurium dierum continuatâ: Et *Hieronymus* versum decimum capituli secundi Joel. propriè sic exponat: *Præ multitudine locustarum obtegentium cœlum, Sol & LVNA convertentur in tenebras, & STELLÆ retrahent lumen suum, dum lumen in medio nubes posita locustarum ad terram non sinit pervenire.*

XIV. Ante oculos prætenduntur nostratibus duo quasi pili, quos *Aristoteles* (p) vocat *νεπαίασ*, h. e. *cornicula*, seu, ut *Theodorus Gaza* vertit, *antennas*. Eorum ratione nostræ locustæ horrere aut horripilare rectè dicuntur, quando illos erigunt. Proinde cum in tractatu *Talmudico Cholin* locustarum aliæ dicantur habere *תבנית* (h. e. *calvarium*), aliæ non habere, h. e. ex mente *Glossatoris* aliæ *glabro*,

(l) *ibid.* (m) in *Hieroz. part. poster. lib. IV. c. V.* (n) *Hor. Hebraic. in cap. I. Marc.* (o) *Histor. Natur. lib. XI. c. XXIX.* (p) *lib. IV. Histor. Animal. c. VII.*

bro, alia hirsuto sint capite, nostrates hirsutô sunt capite, ac calvitium non habent. Talismodi locusta docente *Bocharro* (q) Arabicè vocatur *Orphan*, h. e. *locusta jubata*; & à *Claudiano* (r) nobilissimô Poëta, ita describitur: *Horret apex capitâ*. Videtur quoque ad istiusmodi pilos seu cornicula alluisse *Johannes Evangelista* (s) quando mysticis locustis tribuit *τρίχας ὡς τρίχας γυναικῶν*, h. e. *crines ut fœminarum*. Atque ex nostris locustis apparet, non planè id verum esse, quod quidam volunt, locustas omne genus esse prorsus glabras & depiles.

XV. Præter oculos præditæ sunt locustæ nostræ *linguâ*, & quidem durâ ac validâ, quâ & gustant & attrahunt intra se cibum. Ἄλλο δὲ αἰσθητήριον ἔδεν Φανερόν (ut loquar cum *Aristotele* (t)) h. e. *ceterarum autem partium sensoriarum*, seu partium, quæ sunt à naturâ sensuum ministerio attributæ, nullam, quæ sanè appareat, habent. Nempe ad locustas quoque nostras spectat, quod *Aristoteles* (u) de insectis quibusdam scribit: *Ἐχει δὲ ὀφθαλμὸς μὲν ἀπαντα ἄλλο δὲ αἰσθητήριον ἔδεν Φανερόν· πλὴν ἓνια γλῶτταν ἢ καὶ τὰ ὄσπρακόδερμα ἔχει πάντα, ἢ καὶ γύεται, καὶ εἰς αὐτὸ τὴν τροφήν ἀνασπᾷ. τὸ δὲ, τοῖς μὲν, μαλακόν· τοῖς δ' ἔχει χυρὸν πολλόν.* Oculos verò habent omnia: *ceterarum autem partium sensoriarum nullam, quæ quidem manifestè conspiciatur, præter linguam quædam. Quæ etiam testacea omnia prædita sunt: quæ & gustant, & attrahunt intra se cibum. Ea autem in quibusdam mollis, in aliis robusta valdè.*

XVI. De cætero totam locustarum nostrarum faciem si quis attentè consideret, eam equinæ faciei non absimilem apprehendet Idem videlicet hîc observamus quod *Theodoretus* ad *Joël. cap. II.* añotat: *Ἐπις ἀκρίβως κατίδοι τὴν κεφαλὴν τὴν ἀκρίδος, σφόδρα τῆ τὸ ἴπωσ εἰκνίαν εὐρήσει, Locustæ caput sicut*

D

quis

(q) in *Hierozoic part. Poster. Lib. IV. c. II.* (r) in *Epigrammatibus. Epigr. VI.* quod de *Locusta* est. (s) *Apocal. IX. 8.* (t) *ibid.* (u) *ibid.*

quis attentè contueatur, id equi capiti reperiet valdè simile. Nec non, quantum ad faciem, verum esse experti sumus, quod *Mubammiaddin, Assarhuriensis*, Poëta apud Arabes non incelebris, ex versione *Samuelis Bocharti* (x) scribit: *Habent (locustæ) femur camelorum, crura struthionis, alas aquilæ, pectus leonis. Cauda iis ut viperarum terra: & decorant eas equorum species in capite & ore.* Atque ob hanc faciei equinæ formam Itali locustam vocant *cavallette*. Hinc licet nonnulli illud dictum *Apocal. IX. 7. & species locustarum similes erant equis ad bellum paratis*, ad cursus aut volatus velocitatem referant, quæ equis sunt propè pares, nos tamen insuper ad faciem equinæ non ab similem cum *Bocharto* (y) attemperamus.

XVII Inter caput & alvum pars quædam sita est, quæ simul pectus & dorsum est (τὸ σηθὸς καὶ τὸ νῶτον.) Nam & hic verum est, quod *Aristoteles* (z), de insectis dicit: Πάντων μὲν ἐν κοινὰ μέρη ἐστὶ τρία, κεφαλὴ τῆ, καὶ τὸ πρὸς τὴν κοιλίαν καὶ τὸ καὶ τρίτον, τὸ μεταξὺ τῶν οἴων τοῖς ἄλλοις τὸ σηθὸς καὶ τὸ νῶτον ἐστὶ. Τῶτο δὲ τοῖς μὲν πολλοῖς ἐν ἐστὶ, omnium igitur (insectorum) communes partes sunt tres, caput, alvus ventrem continens, & tertia, quæ inter has sita est, cujusmodi alius pectus dorsumque dicitur. Hoc in multis unicum est.

XVIII. Ad pectus pariter ac dorsum locustarum nostrarum crusta plurima ac valdè durâ est, ut quasi lorica inducæ videantur. Pertinet & huc, quod *Claudianus* (a) de locustis canit:

— — cognatus dorso durefcit amictus,

Armadit natura cutem.

Atque eò iterum *Jobannes* (b) alluisse videtur, cum de locustis mysticis inquit: *Et loricas habebant tanquam loricas ferreas.* Et ob hæc naturæ munimenta nostrates locustæ

cæco

(x) in Hieroz. part. poster. libr. IV. c. V. (y) ibid. (z) *Histor. Animal.* lib. IV. c. VII. (a) in *Epigrammatibus* Epigramm. VI. quod est de locustis. (b) *Apocal. IX. 8.*

cæco ferri impetu, & neque homines neque enses timere videntur.

XIX. Dorso venter fuscus subjicitur, in quo nil est, nisi intestinum, & quidem non simplex, sed flexuosum ac replicatum, quod, ut in insectis aliis, ab ore statim incipiens per totum corpus distenditur. Hoc ipsum jam olim observavit Aristoteles, [c] quando scripsit: Ἐντὸς δὲ τῆς κύτης, μετὰ τὸ σῶμα ἔντερον ὄντι, τοῖς μὲν πλείστοις εὐθύ, καὶ ἀπλῆν μέχρι τῆς ἐξόδου ὄντι, ὀλίγον δ' ἐλιγμὸν ἔχει, *Intra alvum autem post os intestinum est maxime parti eorum rectum, simplexque ad exitum usque, paucis autem inflexum est.* Et paulò post: Ἐνία δ' ἔχει καὶ κοιλίαν, καὶ δὴ πῶς αὐτῆς τὸ λοιπὸν ἔντερον ἢ ἀπλῆν, ἢ ἐλιγμένον, ὡς περ αἱ ἀκρίδες, *Nonnulla (insecta) etiam ventrem habent, atque ab eo reliquo tractu intestinum, aut simplex, aut replicatum: ut LOCUSTÆ.*

XX. Cùm alia quædam locustarum genera, ut Thomas Moufetus (d) docet, habeant caudam, & vel extremâ caudâ vel supra caudam duos tresve gestent aculeos, nostrates locustæ caudâ quidem carent, sed in fine alvi quatuor spicula paulò obtusiora habent. Hinc cum Doctores Talmudici (e) tradant, quatuor locustarum species à Mose enarratas, nempe אַרְבֵּה סֹלַם חַגַב אַרְבֵּה חַרְגוֹל, in eo differre, quod חַרְגוֹל (Chargol) habeat gibbum & caudam, אַרְבֵּה (Arbe) neutrum, סֹלַם [Solam] gibbum, sed non caudam, חַגַב [chagab] caudam sine gibbo, locustæ nostrates, quippe gibbi & caudæ expertes, ad eam speciem, quæ אַרְבֵּה, [Arbé] dicitur, erunt referendæ.

XXI. Quatuor alæ maculosiores, longiores corpore, totumq; illud à superiori parte contegentes, à collo subtus oriuntur. Unde nostrates iis accensendæ sunt locustis, quæ τετραπτερυγίδες i. e. quadripennes Græcè appellantur. Aristophanes in Acharnensibus:

D 2

'Αλλ'

(c) loc. cit. (d) in Theatro insectorum cap. XVI. p. m. 117. (e) in Tractatu Cholin cap. III. fol. 65. a. b. & 66. a.

Ἄλλ' εἴ τι βέλει πείρασσ τῶν ἐγὼ φέρω
 τῶν ὀρεταλίχων, ἢ τῶν τετραπτερυλλίδων.

Sed emitto, si quid vis eorum, qua fero,

Gallorum aut quadripennium [seu, quatuor alas habentium.]

Et ad hanc vocem vetus *Scholias*tes, ac ex eo *Suidas* scribunt: *Τετραπτερυλλίδων, τῶν ἀκρίδων πρὸς τὸ πτεροειδὲς ἔχειν πτερά, Quatuor alas habentium, id est, locustarum. Sic autem locusta vocantur, quòd quatuor alas habeant. Quanquam duas voces: τῶν ἀκρίδων, Suidas non habeat, sed illæ ex Scholias*te ibi sint supplendæ,

XXII. Tot instructæ sunt alis, cum sibi aliquando ex Numinis jussu in multas regiones longè abeundum sit, hęc alarum numerò vincentes muscas & culices, quibus sufficiunt duæ, quia longius avolare necessum non habent.

XXIII. Haud obtigerunt nostris locustis molles ac farinaeæ, velut papilionis, sed duræ quodammodo ac membranaceæ alæ. Destituuntur tamen nostrates crustâ illâ sive vaginâ, quam Deus locustis aliis, quarû figuram *Athanasius Kircherus* (f) exhibet, ob alarum istarum fragilitatem impertitus est, ut scilicet in ea alas suas recondant. Eadem vagina *Aristoteli* (g) dicitur ἑλυτρον: Quæ vox idem notat, quod *integumentum*, cum ἑλθεῖν sit καλύπτειν h. e. *obtegere*, ut *Proclus* aliique interpretantur. Unde & locustæ crustâ istiusmodi armatæ referuntur ad ἔντομα τὸ πτερόν ἔχοντα ἐν κολεῶν h. e. *ad insecta alas in vaginâ habentia, seu ad ἔντομα ἔχοντα ἐν ἑλύτρῳ τὰ πτερά*, ut *Aristoteles* loquitur, h. e. *ad insecta alas integumentò quodam obductas habentia, quæ unâ voce dicuntur τὰ κολεόπτερα vel καλεόπτερα, h. e. vaginipennia*, ut aliqui redderunt.

XXIV. Cæterum nostratium locustarum alæ strictè loquendo non sunt pennæ, ut in columbâ aliisque avibus,

cum

(f) *Mund. subterr. Tom. II. libr. XII. sect. II. c. V. (g) loc. cit.*

eum æquè ac reliquorum insectorum volucrum alæ & καυ-
 λόν, & δὲ χίον [ut Aristoteles ait] h. e. nec tubum, nec scissuram
 habeant, sed sicca duntaxat sint membranæ. Unde *Scaligeri* [h] censuram sustinere necessum habuit *Theodorus*
Gaza, qui τὸ πτερόν ab *Aristotele* insectis quibusdam attri-
 butum reddidit *pennam*. Quanquam, si laxiori vocis si-
 gnificatu utamur, alas locustarum ausim appellare pen-
 nas, quod facere veretur *Scaliger*. Quippe ipse *Plinius* [k]
 insectorum alia ait esse *pennata*, alia pennis carentia, atque
 naturam nonnullis insectis magnâ subtilitate *pennas* adne-
 xuisse monet. Frustrâ autem subtilitatem quærit *incom-*
parabilis doctrina Vir, *Gerhardus Johannes Vossius* [l] dum a-
 las in avibus πτερά, in insectis autem πτίλα vocari con-
 tendit. Certè ipse *Aristoteles* (m) aliquoties insectis tri-
 buit τὸ πτερόν, ut quando έντομα πτηνά h. e. insecta volucra
 πτερά habere inquit, atque insectorum alia δίπτερα, [h. e.
 binis alis instructa) alia τετραπτερά (h. e. quaternis alis prædita)
 appellat.

XXV. Tandem locustæ nostrates sex pedes habent,
 in quibus primi duo sunt minores, medii his majores, po-
 stremi sunt maximi. Sic & *Aristoteles* [n] sex locustis pe-
 des tribuit, quando de locustis, culicibus &c. scribit: Ἐξά-
 ποδα δὲ τὰ τοιαύτα πάντα εἰσὶ, σὺν τοῖς ἀλτικαῖς μορίοις, *Hæc autem*
omnia senos habent pedes, si partes saltatoria connumerentur. Et
Damir Arabs annotante *Bocharto* (o) inquit: *Et locusta sex*
habet pedes.

XXVI. Senos autem illos locustarum pedes ipse *Codex*
Sacer (p) sic describit: אַךְ אֵת זֶה תֹאכְלוּ מִכָּל שְׂרָץ הָעוֹף
 הַהוֹלֵךְ עַל אַרְבַּע אֲשֶׁר לֹא כְרַעִים מִמֶּעַל לְרַגְלָיו
 לֵאמֹר לֹא תֹאכְלוּ מִכָּל שְׂרָץ הָעוֹף הַהוֹלֵךְ עַל אַרְבַּע
 לֵאמֹר לֹא תֹאכְלוּ מִכָּל שְׂרָץ הָעוֹף הַהוֹלֵךְ עַל אַרְבַּע
 לֵאמֹר לֹא תֹאכְלוּ מִכָּל שְׂרָץ הָעוֹף הַהוֹלֵךְ עַל אַרְבַּע
Veruntamen istud comedetis ex omni
reptili

(h) *ibid.* (i) in *Comm. in Arist. Histor. de Animal. lib. IV. c. VII.*
 (k) *Natur. Histor. lib. XI c. c. I. & II. (l) lib. IV. de Orig. &*
progr. Idol. c. LXXV. (m) Histor. Animal. lib. IV. c. VII. (n)
Lib. IV. de Partibus animal. c. VI. (o) in Hierozoic. part. poster.
lib. IV. c. I. (p) Lev. XI. 21.

reptili volucris, quod graditur super quatuor (pedibus) cui (sunt) crura ultra [vel præter] pedes ejus ad saliendum illis in terra. Cui locustarum descriptioni statim specialis earum denominatio subjungitur, quæ alia appellatur *Arbe*, alia *Solam*, alia *Chargol*, alia *Chagab*.

XXVII. Tantum verò pedum numerum eò à natura acceperunt locustæ, quòd frigida sint natura, atque adeò necesse fuerit, faciliorem reddi gressum ac motum; id quod fit pedum copiâ. Vid. *Aristot.* lib. IV. de part. animal. c. VI.

XXIIX. Crura illa & femina locustarum, cum inaruerint, ferrarum usum in India præbere tradit *Plinius* (q). Quamquam istæ in India locustæ, quippe *Plinio* teste ternum pedum longitudinis, majores longè sint iis, quæ gregatim in nostras oras nuper involârunt, talem omninò usum in re domesticâ præstare ineptæ.

XXIX. Postremi duo locustarum nostrarum pedes non ad incessum, sed ad saltum vel volatum sunt comparati. Quippe iis extensis & inflexis locustæ ad saliendum vel volandum attolluntur; quemadmodum *Aristoteles* [r] aperte de locustis inquit: Ὅταν κάμψαντ' ἐκτείνῃ πάλιν, ἀναγκάσιον διὰ τῆς γῆς ἤρθαι, Cum inflexa rursus extendunt, è terra attolli necesse est. Proinde ipsa *Scriptura* [s] pedes illos novissimos vocat כרעו על הארץ h. e. crura ad saliendum in terra. Imò & *Aristoteles* (t) eos palàm appellat τὰ ἀλτικὰ μόρια, h. e. partes saltatorias.

XXX. Atque eam ipsam ob causam, ut scilicet eorum innixu locustæ sese ad saliendum vel ad avolandum è terra elevent, posteriora crura data esse primis ac mediis longiora, animadvertit itidem *Aristoteles*, (u) quando sic scribit:

(q) Lib. XI. Hist. Nat. c. XXXIX. (r) lib. IV. de part. animal. c. VI. (s) Levit. XI, 21. (u) lib. IV. Hist. animal. c. IX.

bit: Τα δ' ὀπίθια μείζω τῶν μέσων, διὰ τὴν βᾶδισιν, καὶ πρὸς
τὸ αἰεεῖσθαι ῥᾶον ἀπὸ τῆς γῆς ἀναπετόμενά. Ὅσιν δὲ πηδητικὰ
αὐτῶν ὄντι, μᾶλλον τῶν Φάνεροισι. Οἷον αἱ τ' ἀκρίδες, καὶ τὸ
τῶν ψυλλῶν γένος; *Posteriora [autem] crura medius longiora
sunt; ut ambulent melius, & adollantur facilius de terra; quando
avolare libet. Quod planius ea ostendunt, quæ saliant: ut locu-
sta, ut culices.*

XXXI. Eosdem pedes novissimos *Aristoteles* (x) vo-
cat πηδάλια. Quod vocabulum *Theodorus Gaza* per gu-
bernacula, *Julius Cesar Scaliger* (y) per saltacula reddit.
Illa versio eā potissimum ratione nititur, quod πηδάλιον
& apud profanos auctores, (z) & in sacro codice (a) guber-
naculum denotet, atque ut navigii motus gubernaculō, &
quidem olim, docente eleganter *Schefferō* (b), sæpè dupli-
ci, dirigitur, ita insectorum motus seu saltus duobus illis
postremis pedibus gubernetur. Hæc autem *Scaligeri* in-
terpretatio eō respicit imprimis, quod τὸ πηδᾶν sit *salire*,
salzare, atque insecta postremorum pedum inflexu se ad
faliendū librent. Verūm enim verò versio illa, quam attulit
Gaza, velut *Aristotelis* menti conformior præterenda est, ac
perperam à *Scaligero* carpitur. *Aristoteles* (c) enim, se τὰ
πηδάλια, quatenus insectis tribuuntur atque locustis, ad
gubernacula designanda usurpare, aperte docet, quando
inquit: ὅσα ἔμπροσθεν δὲ, ἀλλ' ὀπίθεν μόνον ἔχουσιν αἱ ἀκρί-
δες τὰ πηδαλιώδη, h. e. Non anterioribus, sed posterioribus solum, LOCUS-
TÆ habent partes in gubernaculorum formam conditas. Quip-
pe τὰ πηδαλιώδη dicuntur ea, quæ gubernaculorum formam
imitantur.

XXXII. De cætero ex iis, quæ edisseruimus hucus-
que, manifestum evadit, nobis, qui senos pedes attribuimus
locu-

(x) libr. IV. Hist. Animal. c. VII & IX (y) in Commentar. ad Hist. or.
Animal. lib. IV. c. VII. (z) *Ælian.* libr. IX. Varior. cap. XL. &
Heliodor. libr. V. Æthiopic (a) *Ætor.* XXVII, 4. (b) in libro
eruditō de militiā navali, (c) libr. IV. de part. animal, c. VI.

locustis, haud contradicere sacras literas, quæ quatuor saltem pedes animalculis istis adsignant. Nam in re ipsa sacra Scriptura pariter & Physicorum scholæ sex tantum locustarum crura statuunt, ac in usu saltem vocabuli *pedis* discrepare videntur, cum observante *Augustino* (d) Lex Moisaica duo posteriora crura, quippe non ad incessum, sed ad saltum comparata, inter pedes haud computet, *Aristoteles* (e) autem, se in sex illis pedibus eas etiam partes, quarum enixu locustæ saliunt, connumerare manifestè innuat, dum scribit: Ἐξάποδα δὲ τὰ τριαῦτα πάντα εἰσὶ, σὺν τοῖς ἀλτικῶς μορίοις, *Omniibus his sexi pedes sunt, iis etiam paribus, quarum enixu saliunt, connumeratis.*

XXXIII. Liquet insuper ex partibus locustarum huc usque explicatis, nostrates habuisse locustarum mundarum quatuor notas à *Doctoribus Talmudicis* [f] adsignatas, velut ארבעה רגלים וארבע כנפים וקרצולים וכנפיו רוכו חופים את h. e. *quatuor pedes, quatuor alas, crura longiora, & quòd alæ regunt totum corpus.*

XXXIV. Totum hoc de locustarum naturâ partibusque caput claudimus verbis Arabis cujusdam Anonymi apud *Damirem*, quæ apud *Samuel. Bochartum* [g] in Latinum sermonem sic conversa legimus: *In locusta, quamlibet infirmâ, natura est decem magnorum animalium: 1. facies equi, 2. oculi elephantis, 3. collum tauri, 4. cornua cervi, 5. pectus leonis, 6. venter scorpionis, 7. alæ aquilæ, 8. femora cameli, 9. struthionis pedes, 10. cauda serpentis.* Namque & hæc omnia, si solam serpentis caudam demas, locustis nostratibus per analogiam quandam accommodari posse, ex hætenus dictis liquidò constat.

(d) Libr. II. Retractionum cap. XV. (e) lib. IV. De Part. Animal. c. VI. (f) in Tractatu *Cholin* cap. 3. fol. 65. & 66. (g) in *Hierozoic. Part. post. lib. VI. c. V.*

CA-

CAP. III.

DE

Variis LOCUSTARVM

nostrarum affectionibus, (α) MOTV, (β) LOCO,
unde adventant, & quem pervagantur, (γ) SONO
(δ) QVANTITATE, (ε) colore.

INter varias illas, quas hucusque percensuimus,
partes *Locustis* natura dedit pedes & alas ad mo-
tum in terrâ pariter ac aëre peragendum, qui in
ipsis præ reliquis insectis omnibus luculentè se exe-
rit: & quidem *pedes* ad gressum, alas verò ad volatum ob-
eundum concessit. Nec enim saltant tantùm animacula
istâ, sed & avium in sublimem aëra se efferentium ritu vo-
litant. Id quod & nosmet ipsi observavimus nuper, &
Nicolaus Glenardus (h) in iis, quarum agmine cœlum Fezæ
obductum erat, annotavit. Mirum proinde est, quòd *B.*
Franzius (i) locustas dicat *insecta*, *mediam naturam obtinentia*
inter volatilia & reptilia, *difficiliter volantia*, *quæ potius saliant*
instar pulicum, *quàm ut vel ingrediantur, vel etiam volent.*

II. Nos verò in saltu & volatu earum cùm ingentem
agilitatem & velocitatem, tàm admirabilem quendam *ordinem*
deprehendimus. Levi momentò huc atque illuc im-
pelluntur, & facili saltu aut volatu feruntur ubi-
vis. Proinde saltantis equi agilitas iis in *Jobo* &
Chaldaë *Jeremiæ Paraphrasi* confertur. In *Jobo* (k) dicitur
de equo: *An fecisti, ut moveretur sicut locusta?* h. e. ut pari
agilitate saltaret. Et *Chaldaus Jeremiæ Paraphrastes* lib. 27.
scribit: *Quorum equi adsendant* מִפְּנֵי הָאֵל כּוֹחֵי הָאֵל h. e.

E

fal-

(h) in Epist. L. i. p. m. 73. (i) in Hist. Animal. (k) cap. XXXIX,
v. 20.

faltantes ut locusta. Certè avicularum expeditis alis pro-
volantium celeritatem nostrates æquant, & paucarum
horarum spatio aliquot milliaria Germanica trajiciunt. Sic
& jam olim narravit *Plinius* (l) à locustis etiam longinqua
maria transiri, continuat à plurium dierum (quod maximè mire-
mur) fame quoque, quam propter externa pabula petunt. Ac
ann. 1536. ex terris trans Pontum Euxinum in Podoliam
transmisere (m).

I. I. Nostratium locustarum ordinem in volatu & in
incessu servatum quod attinet, illum non collocamus in
eo, quòd, tanquam apes, regem habeant, tacitò quasi con-
sensu electum. Sunt enim ἀβασίλευτον, & quælibet, pro-
ut fors tulit, prima migrat, aut in agrum, ut sedem ibi ad
tempus figat, descendit. Hinc & *Salomon* (n) inquit: *Lo-*
custa regem non habet, & exit unaqueque sibi dividens, h. e. *Lo-*
custa est ἀβασίλευτον. & tamen εὐτάκτως i. e. cum pulchrâ di-
spofitione (ceu interpretes *Græci* addunt) ad segetes fructusque
tollendos, velut ad bellum, egreditur, ac sine ullâ conten-
tione prædam dividit.

IV. Eò autem ordine locustæ nostræ provolarunt, ac
castra velut humi metatæ sunt, ut militarem quasi disci-
plinam in agmine ipsarum cerneremus. Nam nostrates
quoque meabant σιχηδόν (h. e. ordine) atque volabant ὡς
ἐν τάξει (h. e. quasi per acies), minimeque sejunctæ, velut so-
rores se mutuò subsequēbantur, φύσιν αὐταῖς βεβαύσεως
τὸ φιλάλληλον (h. e. mutuū ipsis amorem naturâ dispensante):
uti *Cyrillus* ad cap. II. *Joël*. scribit. Hostium instar conscen-
debant & per vias incedebant, nullâ vi se divelli finentes,
sed tanquam mutuâ conspiratione impetum facientes:
quemadmodum de locustis generatim *Theodoretus* ad cap.
II. *Joël*. pronunciat. Tantò ordine ex jubentis Dei dispo-
sitione

(l) *Histor. Natur.* lib. XI c. XXIX. (m) *Voss.* de Orig. & progr. idol.
libr. IV. c. LXXV. (n) *Proverb.* XXX. 17.

trione volitabant, ut instar tesserularum, quæ in pavimenti artificis finguntur manu, & ne puncto quidem, ut ita dicam, ungueve transversio declinarent ad alteram: ceu Hieronymus de locustis à se in Palæstina visis Comm. ad cap. II. Joel. restatur. Antequam totum vastum agmen advolaret, quædam turmæ præmittebantur, quæ velut castra metarentur. Id quod & Sigismundus von Bircken (o) de ingenti illâ locustarum multitudine, quæ an. 1335. Poloniam, Bohemiamque & Austriam vastavit, diligenter observat, cum scribit: Sie schickten allemahl ihren Vortrab einen Tag voraus/ der musste gleichsam vor das Heer Quartier machen/ und den Ort aussuchen/ da sie sich lagern/ oder/ wie man es heute zu Tage nennet/ campiren wolten. Welches Wort sich wohl zu diesem Heerzug reimet/ weil es ein Krieg war wieder die Jyddey/ drey Laub und Graß/ Blüth und Saat/ Blätter und Rindern von diesen Gassen zur Beute gemachet und abgescheket worden. Sie waren gleichsam in Regimenten abgetheilet.

V. Didicimus insuper ex locustarum nostrarum motu, & quod *vaga nimis & instabilia* sint agmina, & quod *plerumque* tum demum, quando sol ortus est, diesque incaluit, rore velut excussio & à torpore soluta aliò se volando corripiant. Subiit hic statim animus Propheta Nabum (p) utrumque hoc jam olim in locustis expendens. Ita enim dicit urbi Ninivæ: *Aggravare (multiplica te) ut bruchus: aggravare ut locusta. Multiplicasti negotiatores tuos prestellis cælorum: Bruchus grassatus est, & avolavit. Coronati tui sicut locusta (sunt) & Principes tui ut locusta locustarum castra metantium in sepibus in die frigoris: Sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum, ubi fuerint. Quorum verborum sensus genuinus partim ex Caspar. Sanctii (q), partim ex Samuelis Bocharti (r)*

E 2

inter-

(o) im Spiegel der Ehren des Erbhausses Osterreich Libr. III. c. V. p. m. 215. (p) cap. III. 16. 17. (q) comm. ad cap. II. Joel. (r) in Hierozoic. part. poster. libr. IV. c. II.

interpretatione huc redit: Tu quidem es urbs populifissima, & incolarum tuorum multitudo videtur æquare bruchorum & locustarum agmina, quæ nubium, instar operiunt terram & obumbrant. Et in mœnibus tuis plures negotiatores asylum quærunt, quam in cœlis stellæ numerantur. Sed non est, quod confidas tantis copiis, totque mercatorum opibus. Uti enim bruchi & locustæ, quæ in arbuſtis ac sepibus nocturno ac frigidò tempore confederunt, sole exortò avolant, neque in loco, ubi prius constiterant, inveniuntur amplius, sic populi, mercatores, & Duces atque Principes tui, qui diu inra mœnia tua, cum pacata essent, & secunda tempora, sese continuerunt, ad primum armorum strepitum seu litui clangorem exterriti, unanimi consensu te ita dereliquerunt, ut ne minimum quidem supersit illorum vestigiū. Alludit quoque ad *vagum* hoc ac *sedium incertarum* animal David (r) de se ipso dicens: כְּנַעֲרֵי כַחֲרוֹרֵי h. e. *excussus sum sicut locusta*. Uti enim locusta, cum nido caret, vaga est, & è sepe in sepem transvolat, ita David, qui (ut *Abenesra* & *Kimbius* putant) hæc scribebat Saulem fugiens, sine foeco & lare huc illuc discurrebat.

VI. Quod locum, quem pervagantur locustæ, & unde adventant, attinet, illa quidem pestis dira apud nos rara valdeq; insolita est, hominum quippe memoriâ apud nos nunquam visa, sed, ut *Ludolfus* (s) inquit, epidemia australium regionum plaga est. *Johannes Leo Africanus* (t) & *Ol. Dapperus* (u) narrant, locustarum plerumque tantam conspici in Africa frequentiam, ut volantes instar nebulae aut alicujus eclipseos radios solis per aliquot milliaria operiant. Scribit & ille *Johannes Leo* [x], se ad antiquissimam Africæ civitatem, *Tagtessam*, magnam locustarum soli superficiem planè contegentium copiam invenisse. Anno

urbis

(r) Psalm. CIX, 23. (s) in comment. ad Hist. Æthiop. p. m. 168. (t) in descriptione Africæ libr. IX. c. LXI. (u) in Africa sua Tit. *Sibgen* oder *Zaara* p. m. 317. (x) in descript. Afr. Libr. II. c. X.

urbis 627. tanta locustarum multitudo Africam, imprimis Numidiam, invasit, ut ex ipsarum necatarum strage oriretur pestilentia, quæ octingenta millia hominum consumebat (y). Sic & locustas *Tellezius* [z] vocat Æthiopiæ, (quæ Africæ pars est) plagam valdè communem. Eò Africis & Zephyris ingravescens infinitam locustarum copiam è deserto veristempore compelli, *Sirabo* [a] & *Diodorus Siculus* [b] commemorant. Cum primis refert *Diodorus*, cuidam genti Æthiopiæ ex animalculis istis copiosum per totum vitæ tempus alimentum esse. Ex recentioribus rerum Æthiopicarum scriptoribus *Franciscus Alvarcius* (c) velut *αυτόπιης* perhibet, in Æthiopia tantam locustarum plagam grassari, ut eorum, qui regionem ab insecto isto infestatam deserunt gregibus viæ oppletæ sint passim, ac ubivis ingens clamor barbarò ululatu planctuque permixtus exaudiatur. In Africam ex *Arabia felice* per deserta Libyca Numidiæ & per Barbariam immensa illa locustarum examina pervehuntur (d). Tot orbis partibus vagatur id malum: *Parthis* & insectum istud in cibo gratum est; ac non rarò in *Lemno ac Cyrenæica* regione vagatur (e). In interiorem Persiam densissimæ locustarum nubes, quæ primò vere solem obumbrant, à deserto Arabiæ procul transeunt (f). Ex *Africa* autem *Italiam*, maxime infestare, sæpè populo ad *Sibyllina* coacto remedia confugere testis est *Plinius* (g). Et ann. 591. ex *Africa* transvolarunt in Longobardiam, regnante *Agihulfo* in ea. Sic & *Georg Agricola* (i) scribit, locustas

E 3

stas

(y) Vid. Epitom. Liviana lib. LX. Orosius lib. V. c. XVI. Paulus Diaconus in quarto Historiæ Miscellæ. (z) Lib. I. c. XIII. (a) Geogr. lib. XVI. p. m. 531. (b) lib. III. Biblioth. Histor. p. m. 162. (c) in Itinerario Æthiopico c. XXXII. (d) Vid. Ol. Dapperus in Africa sua tit. Libyen oder Zaara p. m. 317. (e) Vid. *Plinius* lib. XI. Histor. Nat. c. XXIX. (f) Josephus de S. Angelo Tolosanus, in Gazophylacio Persico in voce Locusta. (g) lib. XI. Histor. Nat. c. XXIX. (h) Vid. Vos deor. & progr. Idol. lib. IV. c. XV. (i) in libro de animantibus subterraneis, quem ad *Georgium Fabricium* an. 1549. scripsit.

stas, diras herbarum, leguminum, segetum, stirpium pestes, ann. 1542, ex Africa, ut quondam etiam sæpè in alias Europæ oras, in Pannonias, in Daciam, in veterem regionem Marcomannorum Lygiorumque gregatim involasse. Multò antè, anno videlicet urbis 581. C. Popilio Lænate, & P. Ælio Ligure COSS. locustarum tantæ nubes à mari vento repente in Apuliam illatæ sunt ut examinibus suis agros latè operirent (k). Sigeberto teste an. 874. post Christum natum in Galliam, disciplinam velut militarem inter se servantes, horrendam vastitatem invexerunt, præmissis subinde ducibus, qui pridie castra metarentur. An. 1335 ab oriente adventantes, sex alis dentibusq; gemmarū fulgorem evibrantibus præditæ, Poloniam, Bohemiam, Austriam & alias Germaniæ provincias immane quantum devastarunt (l). Superioris seculi ann. 41. incredibilem multitudinem ingentium locustarum primùm in Wallachiâ exortam in circuitu cuncta Leopolim usque miliaribus circiter sexaginta, ad solum usque devorasse, Laurentius Surius (m) testatur. Anno 1542. tanta earum copia Italiam & Germaniam [n] pervasit, ut in Marchiâ [o] ad equi ungulam usque jacerent, earumque volatus in Italia [p] per sex integras horas perduraret. Eodem ferè tempore ejusmodi tempestatem in Mæotide atque Aquilonibus ortam, & in Pannonias delatam obruisse cunctam regionem, scribit Julius Caesar Scaliger (q). Quantum agris Romanis damnum anuò labentis seculi quinquagesimò sextò dirum isthoc malum dederit, Athanasius Kircherus loco suprâ citatò indicat. Tandem Dn. D. Joachimus Hoppius [r] se Franco-

furti
 (k) Vid. Livius lib. XLII. (l) Vid. Sigismund von Brecken im Spiegel der Ehren des Erzhaußes Desterreich Libr. III c. V. p. m. 315.
 (m) in commentar. rerum in orbe gestarum p. m. 467.
 (n) Sleidan. lib. XIV. (o) Vid. Franzius in Histor. Animal. p. m. (p) Vid. Menochius de Remed. recuper. possess. Rem. 12. n. 38. (q) libr. de subtil. ad Cardanum exercit. CXCII.
 (r) in disput. suprâ citatâ, Membr. II. §. III.

furti ad Viadrum observasse inquit, quòd ann. 1681. in Marchia locustæ tantâ multitudine in altum se contulerint, ut Solis quoque splendorem suâ densitate excluderent. Proinde *Scaliger* rectè castigat *Cardanum*, qui *Africam penè solam* locustis abundare dixerat.

VII. Innumerabilem illam locustarum copiam tuic, quando ex uno loco in alium travolat, insignem sonum strepitumque concitare, & animadvertimus ipsimet non ita pridem, & dudum ab aliis observatum fuit. Norunt tractuum nostrorum accolæ, insectum istud, cum nuper è terra se attolleret, ac in sublimem se elevaret aëra, præcipitis aquæ ad asperos lapides alifæ ac per saxa decurrentes, aut venti arbores quatientis sonum reddidisse. Consimilem strepitum in insula Tagowan & Formosa ejusmodi locustarum nubem concitasse, *Ludolfus* (s) ex Historia secundæ legationis Sinensis sic annotat: Sie machten im Fliegen ein solch Geräusch und Geschnurr / als wenn ein starker Wind durch die Bäume gehet. *Plinius* (r) jam olim ait, locustas tantò volare pennarum stridore, ut alitæ alites credantur. *Cyrillus* (u) item ex relatione aliorum contendit, eas non tantum in agros decidere cum strepitu, sed etiam, dum prostratas fruges mandendo comminuunt, dentibus edere tenuem quendam sonum ὡς ἀνέμῳ φλόγα Νεφελῶν ἔστιν ἡ. e. tanquam venti flammam agitantis. Atque ad hunc strepitum sonumque alludit *Johannes* (x) de locustis mysticis sic scribens: *Sonitus alarum iis ut sonitus curruum, equis multis ad bellum currentibus.*

VIII. Notat quoque *Plinius* (y) locustas circa duo maximè æquinoctia terendò inter se dentes stridorem edere. *Vox locustarum*, inquit, *proscissis ab occipitio videtur. Eò locò in commissura scapularum habere quasi dentes existiman-*

tur

(s) in commentar. ad Histor. suam Æthiop. p. m. 175. (r) lib. XI. Hist. natur. c. XXIX. (u) in Joel c. II (x) Apoc. IX. 9. (y) libr. XI. c. 29.

eur, eosque inter se terendo stridorem edere, circa duo æquinoctia maximè, sicut cicada circa solstitium.

IX. Neutiquam verò in locustarum nostrarum sono elegans ac musicum quiddam potuit deprehendi, quod de istiusmodi animalculis Theocritus (z) se ipsum, tanquam impar ad certamen cum Poeta magni nominis, extenuans, & Scholiastes Græcus aliàs prædicant. Postquam enim Theocritus dixisset:

Βάτραχ' ὅ δ' ἀκρίδας ὡς τις ἐρίξω,
Sed velut rana quedam contra locustam contendo;

Scholiastes Græcus hæc annotat: Τῶν ἀκρίδων εἰσὶ ἄνθρωποι, αἱ συρίζουσι ἑναρμόνιον, Locustarum quedam canunt harmonicum quiddam.

X. Unde autem oriatur sonus ille strepitusque, disquiri solet inter Philosophos. Putat Aristoteles (a) proficisci eum ab exterioris corporis motu, nempe à cruribus novissimis motis, iisque attritis, & affricatis. Αἱ δ' ἀκρίδες, inquit, τοῖς πηδαλίοις τρίβουσι (ποιῶσι) τὸ ψόφον, Locustæ autem pedibus suis postremis affricatis sonant. Cujus sententiæ mentionem facit Plinius (b) ita scribens: Locustas pennarum & feminum attritu (sonum reddere) creditur sanè. Imò ipsæ sacræ literæ sonum illum attritis alis adscribunt, quando de locustis mysticis dicunt: Sonitus ALARUM iis ut curruum. Sed & Plinius (c) alio in loco superius allegato strepitum isthunc dentibus inter se contritis manifestè tribuit.

XI. Ast sententiæ istæ conciliari vel nullò negotiò queunt. Videlicet locustarum examina sedentia humi ac conquiescentia terendò dentes, in volatu autem feminum alarumque contritu sonum reddunt.

XII.

(z) Idyll. VII (a) lib. IV. Histor. Animal. c. IX. (b) lib. XI. Histor. Nat. c. LI. (c) lib. XI. Hist. Nat. c. XXIIX.

XII. Sonus autem ille, in quo harmonicum quid inesse existimatur, aliunde non provenit, quam ex interioris inclusive spiritus agitatione, ejusque ad membranulam illam, quæ præcincturæ obtenditur, & ab Aristotele nunc *Διζωμα*, nunc *Ψόζωμα* appellatur, illusione. Scilicet tunc spectat huc, quod Aristoteles (d) ait: Τα ἐντομα ψοφεῖ τὰ ἔσω πνεύματα, & τὸ ψόζωμα, insecta sonant interiori spiritu, non foris admisso. Patet hoc ex puerorum ludicro & tibicinum exemplo: Illi quippe calamum inflaturi perforatum apponunt ad eum pelliculam, ad quam spiritus infantium allidatur; hi autem foraminibus tibiæ variè imponunt digitos, ut allusione ad eos, pelliculæ vicem præstantes, varia oriatur harmonia.

XIII. Quanquam igitur locustæ sonum edant, vocem tamen strictè loquendo non efformant. Carent enim gutture ac pulmone: ast à pulmone per guttur vox proficiscitur, ac linguâ labiisque articulatim formatur. Hinc Aristoteles (e) inquit: Φωνεῖ μὲν ἐν ἔδρῳ τῶν ἀλλῶν μορίων ἔδρῳ, πλὴν τῷ φάρυγγι. διὸ ὅσα μὴ πνεύματα, ἔδρῳ φέρεται. Nihil ergò aliâ parte, quam gutture vocem edit. Quamobrem quæ pulmone carent, eadem voce quoque. Ubi sic colligere videtur:

Nullum carens gutture habet vocem,
 Omne carens pulmone caret gutture,
 E. Nullum carens pulmone habet vocem.

Laxius vocabulo hoc accepto, vox quoque à locustis emittitur; prout Plinius (f) exsertè scribit: Vox locustarum proficisci ab occipitio videtur.

XIV. Ut quartam locustarum nostrarum affectionem, QUANTITATEM puta, distinctiùs tradamus, tum quantitatem molis seu magnitudinem, tum quantitatem numeri seu multitudinem explicabimus.

F

XVI.

(d) Lib. IV. Hist. Anim. c. IX. (e) ibid. (f) lib. Hist. nat. c. XXIX.

XVI. Nimirum locustæ vel recens prognatæ sunt, vel adultæ. Recens natæ sunt admodum parvæ, nigrales, & sine cruribus pennisque reptantes: ut est apud *Plinium* (g), ac in nostris oris videndum in illo fœtu, qui ex atro apud nos relicto semine passim propullulat. Adultæ vel mediocres sunt vel grandiores. Minuta enim seu *attelabus* (qui *Hesychio* dicitur ἀκρίς μικρά, h. e. locusta parva) hac non pertinet. Loquimur enim indiffertatione nostra de locustis alarum remigio instructis: Attelabi verò carent alis, nec tam volant, quam saltant duntaxat. Differtè ait *Plinius* (h): *Locustarum minima sine pennis, quas attelabos vocant.* Unde & *Græci interpretes* illis non volatum, sed saltum tribuere videntur, quando in interpretatione versus 16. cap III. *Nab.* scribunt: Ἐξήλατο ὡς ἀπέλαβ. Imò per usitatam $\gamma\delta\phi$ in β mutationem ἀπέλαβ. *Bocharto* derivari videtur à vocibus ἀπέειν salire, & ἐλαβ. cervus, ac idem esse, quod ἀπέλαβ, h. e. saliens cervus, vel instar cervi saliens. Falluntur certè, qui *attelabum* ajunt esse locustæ fœtum recens editum: Quippe apud *Aristotelem* (i) & *Plutarchum* (k) parere, ovaque eniti *attelabi* dicuntur.

XVII. *Mediocris* digiti humani magnitudinem æquant: Cujusmodi nostrates quoque sunt, & apud *Job. Leonem Africanum* (l) velut Africanam infestantes, & apud *Laur. Surium* (m) tanquam regiones Poloniæ finitimas ann. 1541. pervagatæ describuntur. *Grandiores* autem in India cernuntur, ubi *Plinio* (n) teste ternum pedum longitudinis sunt, ac cruribus suis feminibusque, si inaruerint, ferrarum usum præbent. Eas quoque in Æthiopia grandiores fuisse oportet, de quibus *Franciscus Alvarezius* (o) perhibet, quod in ipsum comitesque involaverint, tantâ vi, ut non aliter visæ essent, quam si costas & capita quasi lapidum ictibus vellent.

XIV.

(g) libr. XI. c. XXIX. (h) libr. XXIX. c. V. (i) libr. V. Hist. Animal. c. XXIX. (k) in Iside. (l) in descript. Afric. libr. IX. c. (m) in comm. rerum in orbe geotarum ad ann. 1541. (n) libr. XI. Hist. Nat. c. XXIX. (o) in itiner. Æthiop. c. XXXII.

XIIX. *Stupenda* autem locustarum *multitudo* est, quando agmine factô in regionem aliquam convolant. Referunt scriptores complures (p), quòd locustæ, quando turmatim provolant, nubis aut nebulæ instar operiant solis radios, & ubi sese demittunt, soli superficiem nunc cubito tenus, (q) nunc ad equi unguulam usque, (r) nunc duorum cubitorum altitudine (s) tegant. Hinc ergo, quòd sua multitudo solem obumbrent, & ei quasi velum obtendant, Locustæ apud Hebræos חגבים & חגבילים dictæ sunt. Illud quippe nomen à velo, hoc autem ab umbra sumtum est docente *Bocharto* in Hieroz. part. post. pag. 444. & 446. Aliquando in regionibus Poloniæ regno finitimis duorum (t), in Sirensi & Lenciniensi orâ atque Masoviâ trium (u), in Æthiopia sex (x), in alia Africæ parte (y) duodecim miliarium Germanicorum & in Germania (z) tantum tractum occupavere, quem eques citatô equi cursu unius diei spatio emetiri haud potuit. Non ita pridem apud nos vesta illa agmina patuerunt duo miliaria in longitudinem ac ferè tot etiam in latitudinem. Atque à longa hac serie locustæ vocantur חגבול, *chargol*. Nam Arabicè *chargala* est longum esse, aut longâ serie ferri & produci. Aliquando in Æthiopia arboribus insidentes pondere suo ramos fregere (a). In Italia anno 1542. earum volatus per integras sex horas perduravit (b). Hinc *Por-*

F 2

phyrius

- (p) *Plinius* libr. XI. c. XXIX *Joh. Leo Africanus* in *descript. Africæ* libr. IX. c. LXI. *Laur. Surius* comment. rerum in orbe gestarum ad ann. 1541. *Johannes Neuhof* in *descript. regni Sinarum* pag. 377. *Dapperus* in *Africa sua* Tit. *Sibyen oder Zaara* p. m. 317. (q) *Suzius* l. c. (r) *Franzius* *Histor. animal. part. V. c. IV. de Inf.* (s) *Franciscus Alvarezius* in *itinerar. Æthiop. c. XXXII.* (t) *Surius* l. c. (u) *Aldrovandus* de *insectis* libr. IV. p. m. 423. (x) *Fr. Alvarezius* l. c. (y) *Aloysius Cadamustus* *Navigarionum* cap. XII. (z) *Sigismund Von Bircken* im *Spiegel der Ehren des Erzhausses Dessterreich* libr. III. c. V. p. m. 315. (a) *Insuitæ* in *additionibus ad relationem de Æthiopia* de *Annis* 1607. & 1608. p. 3. 4. 6. (b) *Menochius* de *Remed. Recup. poss. Remep.* 12. n. 36. & 37.

Phyrius Pythagoricus (c) & Theodoretus (d) locustarum agmen appellitant $\nu\epsilon\phi\theta\alpha\pi\iota\delta\omega\nu$ h. e. *nubem locustarum*. Et ob ingentem istam ac innumerabilem locustarum turmatim provolantium copiam ipsæ nomen Hebræum ארבוֹרִיתִּי for- titæ sunt: prout *Abenefra* in Leviticum vocem hanc מלשון רבוֹי h. e. *ex significatione multitudinis* provenisse docet. Verbum enim ארבוֹרִי idem est, quod *multum esse*, vel *multiplicari*. Imò locustarum multitudo abiit in proverbium, ita, ut multarum gentium copiarum illius comparisonem in variis Scripturæ locis (e) significantur.

XIX. Ultimam quod attinet affectionem, COLOREM videlicet, nostrates locustæ ratione illius valde variant. Aliæ sunt *virides*, aliæ *lucæ*, pleræque *cane*. Omnium alæ maculis nigricantibus multis distinctæ sunt ac insignitæ, quas pro literis, quæ nobis fiat ignotæ, rude vulgus habet.

XX. Sic ergo locustæ, ut aliis variis multisque modis, ita etiam colore distinguuntur. Ipsa *Scriptura* (f) varia mundarum locustarum genera enarrat, dum non tantum aliam vocat ארבוֹרִי (*Arbêb*) aliam סלעם (*Solam*) aliam חרגול (*Chargol*) aliam חגב (*Chagab*), & quodlibet concedit in escam cum additamento isto: למינחם h. e. *cum specie suâ*, atque adeo subinnuit, sub unoquoque plures species specialiores comprehendi. Quanquam quatuor illa genera Latinis verbis distingui non possint, & idcirco in plerisque vernaculis versionibus Hebraica vocabula fuerint retenta. Quidam triginta locustarum genera tradunt. R. *Ananias Fezzanus* (g) sex in Mauritania species se vidisse Francofurti ad Mœnum retulit. Apud *Aldrovandum* (h) ultra XII figuræ earum comparent.

Bochar.

(c) $\omega\epsilon\iota\ \delta\omega\chi\eta\varsigma\ \epsilon\mu\psi\theta\alpha\pi\omega\nu$ s. de *abstinentia ab animalis* Lib. I. §. XXV.

(d) ad cap. XIII. Osee. (e) *Jerems.* XLVI, 13. *Judic.* VI. 5. VII,

11. (f) *Levit.* XI, 21. (g) Vid. Ludolfus in comm. ad *Hist.*

Ethiop. p. m. 176. (h) de *Insect.* libr. IV. c. L.

Bochartus (i) in Hierozoico decem illarum nomina in Prophetarum scriptis obvia, diversasque significantia species, enumerat & interpretatur. Gemariste (k) octingenta locustarum mundanarum genera commentum sunt, quæ Israelitas Babylonem secuta fuerint. Ast, ut rectè notat Lightfootus (l), acutus certè foret ille Lexicographus, qui singulatim hæc species suis nominibus describeret. Certum interim est, quòd locustarum genera varia constitui queant. Aliæ enim sunt alatæ, aliæ alarum expertes. Alatæ vel habent ἑλυτρον, vel ejusmodi vaginâ, in qua recondant alas, carent. Quæ destitutæ sunt ejusmodi vaginâ, vel quatuor habent alas, vocanturque πετεπτερουλλίδες, vel plures habent. Quæ quatuor præditæ sunt alis, vel mediocres sunt, vel grandiores. Mediocres iterum sunt varii generis: Quædam sunt virides, aut luteæ, aut canæ, &c. quædam glabræ, aliæ hirsutæ: quædam cum cauda, aliæ ejus expertes. Cujus autem generis nostrates sint, ex superius dictis valdè manifestum est.

(i) Parr. poster. Libr. IV. c. 1. (k) in Hieros. Taanith. fol. 69. (l) in Hor. Hebraic. in Matth. p. m. 13.

CAPUT IV.

*Ad quid profint LOCUSTÆ,
quidve noceant, & de variis adversus eas
remediis exponit.*

I.

Inter tot locustarum genera reperiuntur etiam, non quæ saltem humano generi nocent, sed usum quoque aliquem præstant. In India prægrandium locustarum crura & femina, ubi inaruerint, ferrarum vicem in re domestica sustine-

sustinere traduntur (m). Narrant quoque *Aristoteles* (n) & *Plinius* (o) locustas serpentem, faucibus ejus apprehensis mordicis, necare. Scribit & *Aristoteles* (p) alibi, in Argo locustæ genus esse, σκορπιονμάχον nomine, quod, quamprimum scorpionem viderit, in eum insurgat. Cui narrationi ut facilius habeamus fidem, *Simon Majolus*, Episcopus Vulturianensis (q) facit, qui suum ait olitorem, ex agro venientem, locustam conspexisse, quæ serpentem gutture apprehenderit, atque ita citra pugnam interemerit. Refert insuper *Laurentius Surius* (r) locustas illas, quæ an. 1541. regiones Poloniæ regno finitimas vastavere, damna data aliquo beneficiò compensasse, cum pecudes, porci imprimis, mortuis, ipsis avidissime vescerent, se mirè iis faginaverint.

II. Observamus nunc potissimum, quod locustarum esus in iis, quæ vel ad ortum vel ad Austrum sunt, regionibus, imò in Græcia sit receptissimus. *Hieronymus* (s) disertè scribit: *Orientales & Libyæ populos, qui per desertum & eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est.* Judæos olim cibo isthocuisse usos, tum inde liquet, quod Mosaica lex in esum concedat quatuor locustarum species, *arbeh, Sol-am, chargol, & Chagab*, tum ex eo apparet, quod *Talmudici Doctores* (t) prolixè disputent, quibus notis dignoscantur locustæ mundæ ab immundis, h. e. quas esitare licet, ab iis, quarum esum Lex interdicit. Et hodiernum Judæos in Mauritania degentes comedere de locustis, tanquam de speciebus in lege non prohibitis, *R. Ananias Fezzanus* apud *Ludolfum* (u) aperit. Sic & *Beda* (x) ab Episcopo *Archulpho*, qui ad ea loca peregrinatus erat, instructus, *Eutbymius Zigabenus* (y) *Jacobus de Vitriaco*, Ptolemaidis

Epi-

(m) Plin. lib. XI. Hist. Nat. c. XXIX. (n) libr. IX. Hist. anim. e. VI. (o) loc. cit. (p) in libro Mirabilium. (q) in Dieb. Canicul. iunio Colloquii X. (r) in comment. rerum in orbe gestarum ad ann. 1541. (s) libr. II. in Jovinianum cap. VI (t) in Tract. Cholin. cap. III fol. 6. & 66. (u) in comm. ad Hist. Æthiop. p. m. 177. (x) de locis sanctis c. XIV. (y) in Matth. c. III.

Episcopus, (z) & *Adamnanus*, *Scotus* (a) pari consensu testantur, usque ad hodiernum diem locustas in Judæa & Palæstina comedi. Olim quoque gens Æthiopica, Silis Æthiopibus finitima, per rotum vitæ tempus & in annua alimenta vescebatur locustis, quas eò pacto aucupabatur, ut fumosam materiem in convallibus congestam incenderet, fumoque tenebras offundente delapsas colligeret (b). *Parthis* (c) & locustæ in cibo grata fuerunt. Eas hodieque omnes & singuli *Arabes* [d] opulenti pariter ac pauperes, cum maximo appetitu, *Sinenses* (e) velut cupedias (c. l. s. *Zeckerbislein*) *Mauritani* (f) tanquam pullis columbarum svaviores, quarum tota plaustra à rusticis teste *Clenardo* Fezam convectantur, nec non *Ægypti* (g) comedunt. Græcos quoque vesci locustis consuevisse quondam, non unò comprobatur argumentò. In *Aristophanis* (h) *Acharnensibus* *Boeotius* rusticus inter cibos venales, quos Athenas in forum deportat, aliquid habere se inquit τῶν ὀρεαλίχων, ἢ τῶν τετραπτερυχίδων, h. e. *gallinarum aut locustarum*: Et apud *Theophylactum* (i) rusticus quidam, lautè se exceptum fuisse jactitans, ἰχάδες ἦν μοι, καὶ ἀκρίδες τὰ ὄψα, h. e. *Habebam caricas & locustas pro obsonio*. Alibi apud *Aristophanem* (k) sic scribitur:

Δ. Βέλει περιδόσαι καὶ πτερέψαι λαμάχων;

Πότερον ἀκρίδες ἢ δίδον ὄψιν, ἢ κίχλαι;

Δ. Οἱ μὲν ὡς ὑβρίζεις. Δ. Τὰς ἀκρίδας κρείνει πολὺ.

D, Vis-

(z) *Histor. Hierosolym. c. LIII. (a) lib. II. de locis sanctis cap. 88. (b) Strabo Geog. lib. XVI p. m. 51. Diodorus Siculus libr. III. Bibliothec. Hist. p. m. 162. 167. Agatharchides apud Phot. Biblioth. Cod. I. (c) Plinius libr. XI hist. Nat. c. XXIX (d) Josephus de S. Angelo Tolosanus, in Gazophylacio Persico in voce Locusta. Petrus Kirstenius ad cap. III. March. Joh. Leo Africanus in describe Africa libr. IX. c. LXI. Damir in avite de Locustis apud Boshartum in Hieroz. p. I. Lib. IV. c. VII. (e) Johannes Neuhof in descri. r. regni Sinarum p. m. 377. (f) in Epist. L I p. m. 73. (g) *Hermol. Barbar. corollar. in Dioscoriden. CCLVI. (h) Act. IV. scen. I. (i) in Epistolis & quidem in Epist. cujus ὄψιν, initium. (k) in Acharnensibus c. l. s. quæri Scena Septimæ**

D. *Vispacisci & Lamacho* *permittere* (ut dicat), *utrum suaviores sint locustae, aut turdi?* L. *Heu mihi! quam tu injurius es.* D. *Locustas* *judicat multò* (suaviores). Atque ibi hæc habet *Scholias*: *Διούρει τὸ Λάμαχον, ὡς ἀκρίδας ἐδίοντα, ἢ ὅτι πρὸ τερροῦ εὐτελεῖ ἐχρήτο τῆ διαίτη, Lamachum insectatur, tanquam locustis vescentem, aut quia antea à vili cibo usus fuerat.* Solet & ad probandum locustarum cibum apud Græcos receptum produci *Galenus*, qui inter cibos tardissimè alentes recenset, *κοχλίας, σπονδύλους θαλαττίους, ἀκρίδας, καράβους & ἀστύκους*, h. e. cochleas, spondylos marinos, locustas, carabos & astacos. At in isto *Galenus* dicto legendum mihi videtur *καρίδας* (quæ vox significat *Squillas*), non autem *ἀκρίδας*. Præterquam enim, quod ibi de insectis non fit sermo, certè aliàs apud *Aristotelem* (m) & *Athenæum* [n], quando piscium *αἰναίων*, & *μαλακοσφάκων* species enumerantur, *καρίδες, καράβοι & ἀστακοί* conjunguntur. Vide etiam de totò hóc argumentò *Drusium* Præterit. Lib. I.

III. Imò *Ludolfus* illustris novissimè eam amplexus est sententiam, quòd *Selawa* Num. VI. 31. quas vulgata per *coturnices* explicat, multò commodiùs & genuiniùs de locustis, quàm de coturnicibus, aut alià avis specie intelligi possint. Certas autem assertiones fovet, quibus hæc ipsius opinio constabatur aut constat:

I. *ἡΨ* Num. XI, 31. esse aliquod volatile, seu volucre:

II. Non esse certum, *Selawas* illas fuisse coturnices,

III. Non esse probabile, quòd fuerint coturnices, sed probabile potius esse, quod fuerint aliud quoddam *ἡΨ*, seu aliud animalium volatili-um genus,

IV. Ea, quæ de *Selawis* dicuntur, non posse alii cui- dam volucris applicari commodiùs, quàm locustis.

(1) Vid. *Isaacus Casaubonus* in Exercit. XIII ad Annal. Eccles. Baron.

(m) libr. IV. *Histor. animal.* c. II. (n) libr. III.

Primam assertionem nemo negat, qui contextum cer-
nit. Sic & secunda assertio certa est. Nam (a) cum ge-
nuina vocis illius significatio deperdita fuerit in captivitate
Babylonica interpretes Orientales retinent vocabulum *Selawa*,
sed non intelligunt, per aliam quippe vernaculam vocem
haud interpretati; Occidentales verò solius *Josephi* per co-
turnicem explicantis auctoritatem sequuntur, cum tamen
reliquorum Judæorum turba aut planè dissentiat, aut certè
de isto significato ambigat. (β) Nec *coturnicis* significatus
ex aliis interpretandi mediis, e. g. collatione cum locis Scri-
pturæ parallelis, significatione radice, aliarumque versionum
Orientalium inspectione, erui potest. Certè si *Exod. XVI*,
13. & *Pf. CV*, 40. consulas, nulla peculiaris reperitur cir-
cumstantia, nisi quòd in jam allegato Psalmo *Selawa* dicitur
כנף עוף *volatile alatum*, id quod etiam non coturnicibus
solis, sed aliis quoque avibus, imò locustis tribui potest. Ac
Lexicographi vocem שלש sine radice proponunt, & si
opinionem *Bocharti* à radice שלש (abundavit) defle-
ctentis amplectamur, nihil hinc colligitur aliud, quam
Selawas in magna copia adventasse; Id quod iterum
non coturnicibus solis, sed aliis quoque volucris, ac im-
primis locustarum ineffabili agmini, accommodari po-
test. Reliquæ etiam versiones Orientales vocem שלש
sine expositione aliqua adhibita retinent. Tertiam as-
sertionem *Ludolfus* ex eo firmat, quod, si textum de coturni-
cibus interpretè, non tantum incommoda multa à mira-
culis in omnibus ferè verbis cumulatis oboriantur, sed &
bicubitares acervi, collectio à Mose descripta, avolandi mo-
dus, ac deniq; commemorata mensura & expansio coturnicibus
minimè conveniat. Quartam deniq; assertionem per remotio-
nem aliquam constabit. Quodcunque enim volatile nomina-
veris, nulli commodius attemperari possunt ea, quæ de *Se-*

locustis in textu *Deorum* perhibentur, quam ineffabili locustarum multitudini. Videlicet facta ad locustas tota applicatio in historia sacra *Num. XI, 3.* sic ex mente *Ludolfi* interpretanda venit: *Et ventus Australis, ab omnibus meridialis plagis parvis flans, miraculose excitatus est à Domino omnipotente, qui ut sicà procul attraxit Selawas, quae species est mundarum locustarum, à mari rubro, Arabico & Persico, & diffudit atque demisit instar dense pluviae super castra, ut quasi itinere diei hinc, & quasi itinere diei illic, circum circa castra minimum viginti miliaria Germanica soli opplerent, ferè duorum cubitorum altitudine super aciem terrae jacentes, sicuti mos est illis insectis, ut, quanquam cummulata viva maneant. Et surrexit populus cum mulieribus & infantibus suis toto illo die, & tota nocte, & toto die postero, & colligebant, atque abrepto capite alisque occisas concervabant locustas illas; quae cum familia sua minimum collegisse videbatur, mensuram adhibuit, & reperit collectos decem coros. Tunc expanderunt eas expandendo passim circa castra, ubi eas cumlaverant, & sic siccaverunt, prout & aliae gentes locustis faciunt, ut non solum in mensem, sed multò diutius durare & preparatione illis gentibus usitata ad cibum aptari potuerint.*

V, Disputat contra hanc *Ludolfi* sententiam *D. Samuel Andrea* in *disquisitione Manuscripta*, cujus mentionem feci superius. Nos verò opinionem illam in praesenti argumento impugnare superfedemus. Quippe ipse *Clarissimus Andrea* de vulgata illa significatione, quae coturnicem designare putatur, dubitat, easque *Ludolfo* opponit rationes, quae nondum evincunt illud, quod demonstrandum erat: id quod alia occasione, servatis modestiae sanctioris legibus, copiosius ostendemus. Neque verò *Ludolfiana* expositio omne tunc factum miraculum negat, aut fidei ac religioni Christianae praedjudicat quicquam. Etsi enim de locustis historia isthaec sacra accipiatur, vis tamen miraculi ac potentia virtusque Numinis infinita.

infinita in eo eluxit, quod ex remotissimis oris brevi temporis tractu illæ locustarum nubes fuerint advocatæ, ventusque ab omnibus meridialis plagæ partibus flans solò Dei nutu sit concitatus. Et huc quoque spectat, quod B. Hutterus (o) ad vocem *ד'נררר* annotat: *Neque enim fides & religio periclitantur, etiamsi de istis & id genus aliis vocabulis certent Grammatici, & adhuc sub iudice lis sit, quanam significatio maximè sit amplectenda.* Accedit, quòd observatum mihi sit, Jonathanem in paraphrasi ad *Exod. X, 19.* docere, eo quoque tempore, quò in Ægypto commorati sunt Israelitæ, locustas ibidem comedi solitas fuisse. Nam ad locum illum Scripturæ, ubi ventus à Deo concitatus abripuisse, & in mare rubrum præcipitasse dicitur, quicquid in Ægypto locustarum erat, ita, ut ne una quidem in omnibus Ægypti finibus remanserit, Jonathan id excipit, quod in vasis suis sale condierant in cibi usum.

VI. Varii autem fuere modi populis *ἀνεδοφάγους* recepti, quibus locustas necatas ad esum præpararunt. Prisci Æthiopes (p) & hodiernum nonnulli incolæ Palæstinæ (q) fumò siccant. Sic & antiqui Æthiopes (r) super confertis locustarum acervis affuderunt falsuginem, debitaque effecerunt maceratione, ut sapor accommodus sit, & citra putrefactionem benè longum tempus hoc falsamentum duret. Arabiæ desertæ & Libyæ populi (s) elixas, vel ad solem desiccatas in farinam tundunt, atque comedunt. Arabes (t) alas & pedes abripiunt, ac reliquum corpus collo suspendunt, solique illic locorum satis ferventi per aliquod temporis spatium exponunt, iis tum demum, ubi incaluerint à sole probè, satisque intumuerint, avide vescentes. Alii Arabes (u) coquunt in aqua cum pauco sale. Nonnulli Arabum (x) coquunt, & arefactas

G 2

deinde

(o) in Loc. Comm. pag. 1. (p) *Plin. libr. VI. Hist. Natur. c. XXX.* (q) *Euthym. in cap. III. Matth.* (r) *Strabo Geogr. libr. XVI. p. 59. Diodor. Siculus Biblioth. Hist. lib. III. p. m. 1693.* (s) *Johan. Leo Africanus in descript. Africae libr. IX. c. LXI.* (t) *Petrus Kirstenius ad cap. III. Matth.* (u) *Josephus de S. Angelo, Tolosanus in Gazophylacio Persic sub voce: locusta.* (x) *Damir apud Bockart in Hieroz. P. II. libr. IV. c. IV.*

deinde contundunt, & cum adipe miscent. Mauritanii(y) nihil abjiciunt de illis, nisi caput, alas, & pedes: Per horam coquunt cum sale in aquam bullientem coniectas, ac posthac cum pipere sale & aceto comedunt. Quidam in Palæstina(z) percoquunt oleo.

VII. Hinc igitur, quod *locusta* olim Orientalibus gentibus pro edulio fuerint, sintque inter cibos Judæis lege concessos colligimus non immerito, quod, quando *ἀνείδες* (*locustæ*) Johannis *ῥεφφῆ* fuisse dicuntur (a), persistendum sit in ordinariâ ac usitatâ vocabuli *ἀνείδης* significatione, nec quicquam causæ appareat, cur Baptistæ cibum aliud quid, quam volatile istud insectum, fuisse censeamus. Scitè *Cæsar Scaliger* (b) scribit: *Nota ex Dioscoride, locustas esitari solitas, ne Grammaticorum pertinacia pergat ineptire; de locustis Divi Præcursoris. Atque eandem, quam tuemur, interpretationem amplexi sunt Theophilus Antiochenus, Origenes, Hilarius, Chrysostomus, (c) Ambrosius, (d) Clemens Alexandrinus (e) Hieronymus (f), Augustinus (g), scriptores denique omnes, quotquot Isidorô Pelusidatâ (h) diversum sentiente vetustiores sunt, si unum Paulinum (i) aliam amplexum sententiam excipias.*

VII. Ut autem temporibus subsequentiibus interpretes varii ab usitatâ & ordinariâ vocabuli *ἀνείδης* significatione abirent, atque in omnes formas se transformarent, verba Evangelistarum aliò detorqueutes, non aliud iudice Doctissimô *Vossio*, (k) fecit, quam quod nescirent, multis olim locustas fuisse pro cibo hodieque esse. Ac septem alias de cibo Johannis sententias percenset *Job. Caspar Svicerus*, (l) quas maximam partem *Dn. Prasles* in peculiari quadam de *Johanne Eremita* nuper conscriptâ dissertatiunculâ examinavit.

IX. Inquis: Austeritas esse debebat in Johannis victu, hæc etiâ non fuisset, si esitasset locustas, quippe quod ipsi commune

(y) *Ludolfus* in commentar. ad Histor. Æthiop. p. m. 179. (z) *Beda* de Locustis Sanctis cap. XIV. (a) *Matth.* iii. 4 (b) in lib. V. *Arist.* Histor. Animal. c. XXVIII. (c) omnes in *Matth.* (d) in *Lucam* (e) lib. II. *Pædagogici* (f) lib. I. in *Jovinianum*, & ep. XXIII. ad *Marcellam*. (g) lib. X. *Confessionum* cap. XXXI. (h) *Libr. I. ep. V. & CXXXII.* (i) in sacro *Poemat.* de *Joh. Rapt.* (k) *libr. IV. de or. & progr. idol.* c. LXXVIII. l in *Thef. Eccl.* sub. voce: *ἀνείδες*,

mune foret cum aliis tenuiter victitantibus. Respondet *Isaacus Casaubonus* (m), austeritatem notatam in Johanne non in eo esse, quod locustas ederet, sed in eo potius, quod *solis locustis* vesceretur, & *melle sylvestris*. Addimus, Johannem comedisse locustas non oleo percoctas ac cum adipe mixtas, nec cum pipere, sale, & acedo, sed rudes & ad solem desiccatas: quæ profectò est magna in victu austeritas.

X. Non solùm autem Deus, ut hominibus sint cibo, sed & ut sint eorum plaga, immittit stupenda ista locustarum agmina. Inprimis, quando ad nos cibum ejusmodi nauseantes & averfantes provolant, procul dubio sunt animadversio Dei in nostra peccata, & insigne, ut maturè resipiscamus, incitamentum, ni deteriora pati velimus. *Plinius* (n) disertè vocat *Deorum iræ pestem*.

XI. Atrocius grassantur in fruges, & ea, quæ in usus hominum necessarios gignit humus. Firmantur hæc de diro isthoc mulò tùm octavâ Ægyptiorum plagâ (o), quæ per locustas fuit, tùm *Joëliæ* (p) Prophetiâ, ubi quis famas ab *Elisæo* prædictæ modus sit futurus, refertur. Verba *Prophetae* sunt: *Residuum eruce comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo*. Ubi sicut singularis numerus pro plurali, ita more Hebræorum, inprimis Prophetarum, præsens tempus pro futuro sumitur. In Historicis etiam externis abunde est exemplorum. Extat apud *Hubertum Golzium* nummus argenteus, cujus in unâ parte effigium est caput muliebre spicis triticeis cinctum, quod haud est *Cereis*, in alterâ parte spica cum locusta adscriptumque *META*, h. e. *METAPONTION*, ut *Metapontinorum* nummum esse significetur. Videlicet fertiles *Metapontinorum* agros locustæ ingenti clade depopulabantur, sed consultò tandem *Oraculo Delphicò*, & placatò (ut ipsi credebant) *Numine* tanta frugum pestis sublata erat. In *Æthiopiâ* (q) sæpiùs non deserta & a-

G 3

rens-

(m in Exercit. XIII ad Annal. Eccles. Baronii (n) lib XI, Hist. Natur. c. XXIX. () *Exod.* X, 4. (p) cap. I, v. 4. (q) *Ludolfus* in *Histor. Æthiop.* lib. I, c. XI.

renosa loca, ut serpentes, sed arboribus confita atque frugibus culta quærunt locustæ: non herbas, non frutices, non arbores intactas relinquunt; quicquid herbidum aut frondosum est, ab iis arroditur, quasi igne tostum esset: Cortices arborum dentibus mandunt, & sic non unum tantum annum nocent. Hinc & Æthiopia (r) licet magna ejus fertilitas sit, sæpe laborat fame. Anno 1541. omnes res humi nascentes vastârunt ad radices usque (s). Anno 1543. locustæ illæ, quæ per Illyricum stupendis agminibus in Italiam convolârant, in agris fruges & segetes, in pratis gramen, in arboribus folia omnia ocysimè devorârunt (t).

XII. Nos autem in medio pœnæ suæ æstu quibusdam blandientis Gratiæ radiis Deus refecit, quando nec æstate in iis, quas peragrarunt, oris diu conquiescere pestem illam sivit, nec antè, quàm cœlô quadantenus, frigescente, quô jam magnam partem extingvuntur, in hos immisit tractus, nec omnia permisit vastare, sed, ut vitibus arboribusque parcerent, nutu suô divinô jussit. Prohibeat & Deus, ne, quam, ex atro semine reliquerunt, propago hic loci crescat, futurumque evertat annum.

XIII. Etsi verò tot mala damnaque dent locustæ, varia tamen contra eas remedia deprehenduntur ac cogitari possunt. Non autem excommunicationis fulmine vibrandas putamus locustas; prout olim Italiæ incolæ censuris Ecclesiasticis contra impiam locustarum vastationem sæviendum decreverunt (u), & *Cartholomæus Cbassaneus*, Jctus Burgundus (x), eum fugandi arcendique modum adprobavit. Hunc, inquam, propulsandi modum nequaquam collaudamus. Excommunicatio enim est hominis Christiani à corpore Ecclesiæ vel saltem à perceptione Sacramentorum ejus exclusio (z).

Hæc

(r) *Tellezius* lib I. c. XIII. (s) *Surius* ad ann. 1541. (t) *Surius* ad ann. 1543. Vid. *Simon Mayotus* in dieb. Canic. T. de Inf. p. 101. (x) *Confil. I.* (y) Vid. *Canis.* in summ. J. Canon. L. 7. tit. 13. D. 2. *Specul Saxon.* L. 3. Art. 63. D. *Thomæ* in Tr. de Nox. Anim. t. 27. p. 53. & seqq.

Hæc autem ad locustas minimè possunt applicari. Suppetunt autem alia contra pestem illam remedia. Quippe [1] variæ aves pro nobis contra locustas militant [2] concessa est homini potestas rumpendi ova; ne generentur inde aliæ [3] data est nobis facultas genitas variis modis necandi, [4] venti quandoque ingentem copiam in maria aut stagna præcipitant, [5] frigescens cœlum vivas extinguit.

XIV. De his & pluribus aliis contra locustas remediis, nec non de ortu ac præfagio earum, ut & de eo, quod secundum jus naturæ circa damnum ab insecto isthoc datum observari debet, exponendum esset copiosius. Ast, cum hoc nostrum speciem præter spem in tot paginas excreverit, hic pedem figimus, lectorem benevolum ad dissertationem aliam, quæ intra octiduum à Dn. Præside procurabitur, officio sè remittentes.

Tantum hac vice.



171 807 87

Faint, mostly illegible Latin text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Tantum hoc vice



AL

107



Faint, illegible text from the reverse side of the page, likely bleed-through from the other side of the paper.

ULB Halle

3

004 967 542



Sb.



00



REV. IX, 28.

LOO

IMMENS
NOSTR

QVID PO

Numine


in

JOH. PAV

Moral. ac P

d. XX

CHRI



Wa
804 II

S,

REM
S, ET

te

EITI,
arii,

723.

